





1
6

















R. C. O.
R.

BENEDICTIO
Wincel

1788

MET

←

←



←

Impensis
Vniuers

P. COLVMBANI
ROESSER, 1

BENEDICTINI BANZENSIS PHILOS. IN ALMA
WIRCEB. VNIVERS. PROFESS. P. et O.

INSTITVTIONES
METAPHYSICAE.



Cum Priuilegio Celsiss.

WIRCEBURGI M DCC LXXVI.



Impensis et Typis IOANNIS IACOBI STAHEL,
Vniuersitatis Bibliopolae et Typographi a Celsiss.
Special. Priuilegiati.

Phil. 315 b

200



1402 761 01



PRAEFATIO.

Quam in hisce elementis elucubrandis
 viam ac rationem sequutus sim,
 paucis vos, Optimi Iuvenes! putavi edo-
 cendos. Metaphysica, vt vera sit, quae
 esse dicitur, principiorum generalissimorum
 scientia, tales etiam doctrinas stabilire de-
 bet, quae non solum philosophiae, sed om-
 nis in vniuersum scientiae tanquam funda-

menta sint. Ex quo efficitur, primo, vt, quae sint omnibus rebus notiones communes, quae earum relationes, explicet: deinde, vt praecipua rerum genera recenseat, et, quae de iis vniuersim praecipi possint, inuestiget: denique, vt leges Cosmologicas exquirat. Atque haec omnia tribus capitibus complexus sum. In iis autem pertractandis ea mihi conuenientissima visa est ratio, quae primum singularum notionum originem scrutetur, tum omnium inter se nexum, ex quo, quid vnaquaeque alteri debeat, intelligi possit. Quo ipso perduci necesse est ad prima quaedam, quibus alia nituntur, iudicia, naturae, inquam, iudicia, quae non die, vt opinionum commenta, delentur, sed sensu omnibus communi confirmata. Nihil praeterea statui arbitrarium, nihil, quod non satis exporatum sit. Haec tamen nolite sic interpretari, quasi omnia, in quae Meraphysici solent inquirere, quaeque suis locis indicata sunt, perspicua et indubia esse existimem. Nempe,

pe,

pe, vbi verum cognoscere negatum fuit, cognitionis humanae limites, errorumque fontes notandi erant; quo magis sibi quisque a temeritate ac praecipitanter iudicatis opinionibus caueat. Ieiunas et frigidas aliorum argutationes omisi, quas, quotusquisque est, praesertim hac aetate nostra politiore, qui requirat? si quis autem requirit, vbi non inuenerit? cauendum enim omnino erat, ne libelli magnitudo cresceret. Et sane philosophia non tam in aliorum praeceptis ediscendis posita est, quam in mentis vi exercenda, et subtilitate iudicandi, ac ratiocinandi contrahenda, quod nemo consequitur, qui non ipsi sibi incipiat fidere, rebusque perpendendis mature adfuescat. Animus quidem erat, breuem Metaphysicae historiam subnectere; at quum in ea elaboranda animaduertentem, historiam Theologiae naturalis ab ea aegre diuelli posse, inceptum opus alii tempori ac loco destinaui. Vix est, quod stili veniam rogem: quis enim notiones magna ex parte

in Europae barbarie natas, atque apud
barbaros adulas latina semper oratione ex-
plicauerit? vt nihil dicam, ipsum Meta-
physicae nomen a graeco fonte male detor-
tum esse. Ceterum facile intelligitis, hoc,
quidquid est laboris, me non gloriae cuius-
dam captandae (quae enim ingenii gratia a
rebus metaphysicis sperari possit?) sed ve-
strae vtilitatis causa suscepisse. Neque enim
vllum mihi erit molestum onus, quod non
vestri causa prompto atque alacri animo
sim subiturus. Vestrum erit fauere hisce
conatibus meis, atque ita rationes vestras
componere, vt et meae mihi, et vobis ope-
rae vestrae ratio constet, Valere.



CAPVT PRIMVM.
 ONTOLOGIA.

Quae capite hoc tractanda sumitur, Ontologia, illud sibi propositum habet, vt generaliores et communissimas notiones explicet. Quoniam vero res quaecumque vel spectari in se, vel cum aliis comparari possunt; omnium omnino notionum duo genera constituere licet: vnum absolutarum, quas animo informamus, cum res singulas consideramus: alterum relatiuarum, quae ex comparatione plurium rerum inter se existunt; quamquam si dicendum, quod res est, sola entis notio prorsus absolute videtur, aliae enim omnes aliquam obiecti sui habitudinem vel obscure, vel confuse inuoluunt. Quia tamen huius generis quamplurimae sunt, quae ad

Notiones omnes sunt vel absolutae vel relatiuae.

A vnus

CAPVT

vnus ac simplicis rei plenam notionem pertinent, quominus inter absolutas recenseantur, nihil impedit. Ex quo efficitur, vt relationes hoc loco eas dicamus notiones, quæ ex comparatione plurium rerum a se inuicem disiunctarum existunt. Itaque in hac Metaphysices parte ita versabimur, vt primum, quæ sint singulis rebus notiones communes, deinde, quæ plurium sint relationes, explicemus.

I.

De iis, quæ sint singulis rebus communes, notionibus.

§. I.

Notio existentiae.

Existentiæ notio omnium simplicissima videtur, et primo suggeritur a sensatione interna, aut ab illa sui conscientia, quæ omnem cogitationem comitatur, deinde a sensationibus externis, quæ, natura duce, res externas tamquam veras depingere videntur: quum nemo sentiens dubitet, an ipse sentiat, aut sit, atque num res corporeæ veræ sint. Idealistas enim hic non moramur. Fuerunt quidem, qui existentiam definitione explicare conarentur; sed ita, vt aut obscurarent eam magis, aut nihil dicerent noui. Nam qui sic definiunt, vt esse aut existere dicant eas res, quæ sint aptæ ad agendum vel patiendum, non vident, primo aptum esse, posse agere vel pati, perinde obscurum esse; deinde *ὀψιμανεως*, id est, substantiæ istam esse definitionem, multasque res esse, quæ nec agunt, nec patiuntur. Quodsi quis ita explicet, vt sit id, quod extra cogitationem detur, is non definit, sed synonymum adfert. Qui existentiam in complemento pos-

fibi.

sibilitatis, seu quadam ad possibilitatem accessione ponunt, causae potius, quam existentiae definitionem adferunt. Atqui idem fere sentiendum de ceteris notionis huius explanationibus, quas si referre instituas, nihil aliud, nisi quod refellendum sit, adferas. Neque mirum id cuiquam videri debet. Existendi enim nomen tam late patet, ut non solum res productas, sed ipsam etiam earum causam primam comprehendat. Deinde notio ipsa est eiusmodi, ut ab ea alia rerum genera ducantur, ipsa autem generi subiecta nulli sit. Simus itaque ea, quam sensus suggerunt, notione et intelligentia satis clara contenti.

Res existere cernuntur vel sensu interno, quomodo se quisque esse nouit, vel sensu externo, qui, naturali vi, alias quoque res esse cuique satis adfirmat, vel ratiocinatione ex effectis causis aut adiunctis sensu quouis cognitis, vel denique testimonio. Eodem vero modo omnes res vel iuxta sese simul existere, vel se inuicem consequi, atque adeo in spatio aut tempore aliquo esse intelligimus. Quarum igitur rerum existentiam sentiendo cognoscimus, eae omnes alicubi et aliquando sint oportet. Attamen inde non efficitur, ut quidquid existit, in spatio et tempore existat, quorsum haec valeant, alio loco docebitur. Denique hoc animaduerto, notionem existentiae adeo simplicem esse, ut omnes etiam intensiōnis gradus respuat.

§. II.

Quarum igitur rerum sensum habemus, eae certo existunt. Sed sunt aliae quam plurimae, quarum existentia licet non aequè constet, co-

Possibile et impossibile.

gitari tamen potest. Rem illam, cuius cogitari existentia potest, siue actu existat, siue non existat, *possibilem*; cuius autem existentia ne cogitari quidem potest, *impossibilem* dicuat. Impossibilitatis notio oritur, cum duae vel plures ideae sumantur in vnam cogitationem compingendae, quarum vna alteram euertit. Sed omne illud, quod fieri aut esse potest, bipartito distribuunt. Nam si est ipsa rei notio, ipsa enuntiatio per se a repugnantia libera, simpliciter et intrinsecus possibilem dicunt: sin hoc dicitur, neque loco, neque tempori, neque alii rei externae repugnare, quominus res esse fierique possit, cum conditione et extrinsecus possibilem adpellant. Idem tenendum de eo, quod impossibile diximus. Porro quae possibilitatem aut impossibilitatem externam efficiunt, conditiones non vnius generis sunt. Aliae enim rebus seu causis naturalibus continentur, quae *physicam*, aliae rationibus moralibus, quae *moralem* possibilitatem aut impossibilitatem efficiunt. Quamquam moraliter impossibile etiam dicunt, quod citra magnam difficultatem praestari nequit; quo quidem sensu nomen isthoc in vita communi saepius adhibemus. Ex his definitionibus facile colligi potest, primo, quod cum conditione fieri nequeat, id simpliciter fieri posse, quod autem simpliciter fieri nequeat, id numquam possibile esse aut fieri posse; deinde quod cum conditione possibile sit, etiam simpliciter eiusmodi esse, et possibile numquam fieri impossibile. Si notiones istae ad existentiam referantur, haec fere enunciata inde elici possunt: a) quod actu existit, id esse fierique possit, necesse est. b) Quod possibile est, id non ideo existit. c) Quod fieri non potest, idem

idem non existet d) Quod non existit, non est illico inter *adversata* referendum. Quae axiomata adeo plana sunt, ut a quoque intelligantur, neque crederem, contra ea unquam peccari posse, nisi usus doceret.

§. III.

Facilius nunc, quid sit ens, quid non-ens intelliges. Entis quidem nomen apud antiquos non occurrit, sed ad analogiam graeci participii *ὄν* a scholasticis formatum fuit. Quamquam si voluissent a *sum* deriuare, debuerant potius ad regulam analogiae *sens* dicere. Sed placuit ens. Vocatur autem ens id omne, cui existentia non repugnat, vel de quo nihil aliud scio, nihil cogito, quam hoc, illud esse, aut certe fieri posse. Qui ens dicunt, quod reuera et actu existit, paullo arctioribus vocem entis limitibus videntur circumscribere; propterea quod ens, ut vocant, potentiale hoc modo non contineatur definitione entis. Id scilicet, quod iam existit, dicitur ens *actuale*, quod autem existere potest, quamuis non existat, adpellari consuevit ens *potentiale*. Quamvis porro inter mere possibile et actuale nihil intersit medii, usus tamen loquendi obtinuit, ut alia in potentia proxima, alia in remota esse dicamus. Quae quidem loquendi formulae si rite accipiantur plane absurdae non sunt. Quod esse cogitatur, vocatur ens *rationis*. Talia entia rationis sunt illa nomina vniuersalia, genus, species, differentia. Horum duas formas faciunt: aliud eorum dicunt ens rationis *rationatae*, qualia sunt omnia ab concretis rerum singularium vere existentium abstracta. His opponunt entia rationis *rationantis*, quae ne-

Ens.

que in abstracto, vt loquuntur, neque in concreto extra intellectum nostrum sunt. Quo referunt omnia, quae humani vis ingeni primum inuenit creatque. Plura entia rationis, si tanti putes commenta, et aegrorum somnia legere, tibi dabit GELLIVS noct. att. libro XI. c. 4. Caue vero ens rationis confundas cum non-ente. Nam non-ens, seu nihilum illud dicunt, quod nec est, nec esse aut cogitari potest. Segregandum denique hic imprimis illud *ὄν* platonium, cui contrarium est *τὸ γινόμενον*. illud aeternum et immutabile, hoc in perpetuo fluxu esse statuerunt. De hoc itaque, quod *ὄν* vocabant, quum magnifice loquerentur, quum tribuerent illi aeternitatem et immutabilitatem, factum inde est, vt splendida illa epitheta quae Deo propria sunt, transferrent illi, qui ens excogitarunt ad similitudinem *τῆς ὄντος* Graecorum, etiam ad suum ens,

§. IV.

Necessarium et
fortuitum,

Quae sunt, aut necessaria sunt, aut fortuita, aut contingentia. *Necessarium* dicunt, cui, quod contrarium est, repugnat, atque adeo fieri nequit: *fortuitum* autem vel *contingens*, cuius contrarium pariter fieri potest. Quemadmodum repugnantiae, ita etiam necessitatis duo genera sunt. Quodsi enim contrarium ipsi rei notioni repugnat, simpliciter necessarium dicitur; si ex rebus externis arcessenda est repugnantia, cum conditione et adiunctione necessaria res dicitur. Quae autem necessitatem efficiunt conditiones, non vnus generis sunt. Aliae enim rebus naturalibus continentur, quae necessitatem *phy-
sam*, aliae rationibus moralibus, quae *moralem* efficiunt. Neque eadem omnium conditionum
vis

vis est. Nam primae aliae sunt fortuitae, aliae necessariae et ipsae. Deinde cum aliis id, quod efficiunt, necessario nexu copulatum est, quod in aliis est secus. Ex quibus intelligitur, in necessitatis iudicio rationem habendam esse non solum conditionum antegressarum, qua conditiones sunt, sed etiam qua vel necessariae vel fortuitae sunt; tum nexus earum cum effectu. Unde fit, ut necessitas, quae a conditione necessariae et necessario vinculo cum effectu copulata ducatur, item ea, quae a conditione fortuita illa quidem, sed necessario cum effectu cohaerente proficiscatur, par sit necessitati absolutae, saltem maior ea, in qua siue necessaria siue fortuita conditio est, sed non necessariam ad aliquid efficiendum vim habens. Necessitatis notio in nobis subnascitur, cum aliarum rerum, quae sub certis adiunctis contingunt, numquam, aliarum per saepe contrarium euenire obseruamus. Quae denique necessario coniuncta sunt, *inseparabilia* adpellant; quod praedicatum in res cum successiuas, tum simultaneas cadit.

§. V.

Quod absolute necessarium est, aliud atque ^{Mutabile et immutabile.} esse nequit, nulla ei mutatio accidere potest. Id, cui mutatio repugnat, *immutabile* dicitur. Duo itaque immutabilitis genera sunt, vnum *absolutum* et *internum*, alterum *hypotheticum* et *externum*: vtrumque quale sit, ex notionibus haecenus explicatis intellectum iri arbitror. Quod autem fieri aliud, atque est, potest, *mutabile* dicitur. Quae sunt hypothetice immutabilia, per se et absolute mutari possunt, at non contra.

quod quidpiam mutatum non sit, non sequitur, idem esse ab omni mutatione exemptum: multo minus ex eo, quod quidpiam sit mutatum, cogi potest; idem mutari continuo. Perpetuus igitur materiae fluxus, quem quidam adstruunt: ex hisce notionibus non intelligitur, sed aliunde ducendus est.

§. VI.

Essentia,
Attributa,
Modi.

Quae in quaque re discerni cogitarique varia possunt, *determinationes* seu *notae* rei dicuntur, et duplicis sunt generis: aliae enim in re per se spectata concipiuntur inesse, aliae ex comparatione rei cum alia existunt: has *externas*, illas *internas* adpellant. Internarum porro determinationum tria genera faciunt: primum complectitur variables et inconstantes, quae ab ente perinde abesse, ac inesse possunt, et *modi* dicuntur. Alterum genus continetur iis notis, quae inesse in ente solent, etsi non repugnet easdem abesse, et praeter modos *naturales* vocantur. Tertium denique ad eas pertinet, quae constanter et perpetuo rei insunt, fixamque et stabilem eiusdem notionem praebent. Huius generis determinationes, quia vniuersae essentiam rei constituunt, *essentiales* dicuntur. Harum porro notarum aliae primum in re concipiuntur, et reliquis, quae rei insunt, omnibus veluti fundamentum quoddam quasi subiectae sunt, ita, ut ex iis ceterarum omnium reddi ratio possit. Quod quidem illud ipsum est, quod *conceptum primum* et *essentiam* eamque *logicam* adpellant. Quae vero constanter rei insunt, ita tamen, ut earum ratio ex essentia reddi possit, proprietates, attributa conceptus secundi dicuntur: quorum duo

rursus genera sunt: alterum *suavum* id est, quae rei soli insunt, neque communicari cum alia possunt; quia pendent ex tota essentia, et omnibus eius quasi partibus; alterum *communium*, quae non ex tota essentia, sed vna tantum eius aut aliquot partibus aliarum etiam rerum essentiae communibus deriuantur. Quidquid vero rei non semper inest, ad modos pertinet; qui, cur adesse possint, in essentia quaerendum est, cui non repugnant; cur autem insint, non ex essentia, quia sic semper inessent, sed ex aliis rebus externis, aut aliis modis, qui iam insunt rei, repetenda ratio est. Quum igitur mutabile sit, quod aliter esse potest; sequitur, modos esse mutabiles, et quia essentiae et proprietates rerum mutari atque abesse non possunt, mutari in nulla re quicquam potest. Ceterum modos latini affectiones, LVCRETVS euenta, scholastici accidentia praedicabilia adpellant.

§. VII.

Verum in tanta determinationum siue internarum siue externarum varietate ac multitudine fieri nequit, vt vna omnes cogitatione semper amplectamur, persaepe accidit, vt ea maxime parte res consideremus, quae cerni eas ad propositum nostrum interest. Quare rem nunc his, nunc illis determinationibus tamquam subiectam concipimus, eamque cogitatione nostra quasi multiplicamus. Hinc enata sunt nomina, quae diuersa eiusdem rei subiecta significant. Quae igitur determinationes propter notiones, quam eiusmodi

Essentia
notionalis
et realis.

nomen signat, rei, de qua dicitur, inesse debent, pariter essentielles vocantur. Ex quo efficitur, vt eiusdem rei diuersae essentiae discerni, et determinationes eadem sub diuerso respectu et essentielles et accidentales dici queant. At quis non videt has essentias non esse nisi relatiuas, hypotheticas aut nominales, et ab essentiis absolutis distare plurimum? Essentiam enim notionalem dicimus complexum variarum notarum vno nomine comprehensarum, quae in re, vt hoc nomine vere compelletur, inesse debent; essentia contra absoluta continetur determinationibus internis, quae rei insunt, nulla aut nominis aut alterius rei ratione habita, quaeque rationem aliorum, quae pariter rei insunt, aut inesse possunt, in se continent: sic auri essentia nominalis est idea complexa, vocabulo isto signata, puta corpus flauum, graue, ductile, fusile, fixum. Realis autem essentia auri est, temperatio interior partium insensibilium, ex qua pendent qualitates istae, et reliqua auri attributa omnia. Quantum haec inter se distent etiamsi vtraque essentiae nomine adpelleretur, facile intelligitur. Si igitur quaeras, rerum essentiae an perspicui a nobis penitus possint, nec ne; refert, quas essentias intelligas, reales, an notionales; quum enim omnis nostra cognitio ducatur a sensibus: sensus autem internam rerum constitutionem haud manifestent; confidendum est, absolutas rerum essentias a nobis ignorari. Sin vero in essentia notionali illam determinationem, quae reliquis veluti fundamentum subiecta sit, essentiam absolutam dicas; nihil impedit, quominus plurimum rerum

rerum essentias reales nobis perspetias esse profiteamur. Atque sic interpretanda videntur, quae illust: WOLFIVS Metaphisicae II. pag. 39. docet. Ceterum quid inter essentiam nominalem et realem interfit discriminis, pluribus explicat LOCKIVS L. III. C. 6.

§. VIII.

Porro varia de essentiis dogmata tradunt ^{Axiomata de essentiis.} Metaphisici. Praecipua in examen reuocabimus. Primo itaque essentiam ponunt in eo, vnde ratio reliquorum sit repetenda. Verum nimis lubrica et anceps est ista adsertio; audeam enim ex quavis rei determinatione, modo constans sit, alias omnes deriuare. Inde concludunt secundo, essentiam rei possibilitate contineri: hanc enim in quavis re primam esse putant, vltra quam progredi cogitando non possis. Verum nimis generalis est ista essentiae notio, minimeque ad omnium rerum essentiam explicandam sufficiens. Tertio ex hac notione colligunt essentias rerum esse necessarias, aeternas et immutabiles. Quae opinio vnde orta sit, supra docuimus. Sed in hac quoque adsertione cautio esse debet, ne isthaec praedicata ad res existentes transferantur. In illa celebri quaestione, an radix seu causa essentiae in rebus internis sita sit, an vero extrinsecus accedat; vel quaeritur, quodnam primum eorum, quae rei essentialia sunt, exstiterit, quodque rei essentiam absolutam constituat; quorum certe ratio in solo Deo requirenda est: vel quaeritur de essentia hypothe-

pothetica. Verum tum vltior quaestio locum non habet, aut quis quaerat, cur triangulus tria habeat latera? Sed has diuersas quaestiones non videntur separasse Metaphysici, quorum alii essentiarum originem intellectum diuinum, alii voluntatem constituerunt, vt nihil dicam de iis, qui eas omnino independentes esse docuerunt. Quae de re legi merentur BULFINGERI dilucidationes, C. I.

§. IX.

Ens posituum et negatiuum,


Quae determinando ponuntur in ente notae et praedicata, sunt determinationes *positivae* et *affirmativae*; *negativae*, si ab ente determinando tolluntur. Determinationes positivae, si vere sint, *realitates*, negativae, si vere sint, *negationes* dicuntur. A negatione differt *privatio*, quam vocant negationem praedicati in subiecto capaci. Negatione posita realitas tollitur, hinc negationes et realitates sibi invicem sunt oppositae. Tam realitatis ipsae, quam entia, quibus insunt, realia seu positiva dicuntur. Quia quaeuis realitas repugnat negationi; fieri nequit, vt idem ens omnes et realitates et negationes simul complectatur. Quia vero realitas realitati non repugnat; omnes realitates in vno ente consistere possunt. Ens mere negatiuum foret, cui nulla inesset realitas, adeoque nec possibilitas. Ens ergo mere negatiuum est non-ens. Quum itaque omni enti quaedam insit realitas, sequitur, omne ens esse reale. Si cui enti non omnes insunt realitates, tum partim ex realitatibus, partim

ex

ex negationibus constat, quarum aliae necessariae et immutabiles, aliae fortuitae & mutabiles sunt. Quoties eiusmodi enti cogitatione realitatem addis, toties negationem tollis et vicissim. Quae ex negationibus entis sequuntur, pariter negatiua, quae ex realitatibus, realia sunt. Singulae itaque realitates consentiunt, negationes dissentiunt. Ex quo dissensu oriuntur imperfectiones. Nullum itaque ens, cui negationes insunt, ex omni parte perfectum est. Atque haec est ratio, cur Metaphysici realitates nonnumquam perfectiones, negationes vero imperfectiones dicant.

§. X.

Limes sensu latiori acceptus, est determinatio quaestionis, quousque quaeque res per-
Limes.
 tingat; ita a sapientia exercitio diuinae bonitatis limites poni, aut vsum libertatis humanae a legibus naturalibus limitari dicimus. Sunt, qui strictiori significato limitem dicant defectum quemcumque vltioris realitatis. Verum sumta hac notione, adserere licet, ipsi quoque Deo limites inesse. Quare alii dictae definitioni addunt: *realitatis compossibilis*. Verum nec haec adiectio definitionem admodum iuuat; vsus enim loquendi omnino repugnat, quia defectus omniscientiae aut omnipotentiae ad limites humanarum virium pertinet, licet istae realitates cum reliquis conciliari haud queant. Cl. VLLRICH limitem commodissime explicari putat per quemcumque virtutis positivae defectum, qui quidem defectus vel ipsi virium primitiuarum temperationi adhaeret, vel ex causis externis aliisque adiunctis oritur: primi generis defectum essentialem, alterius



terius accidentalem et fortuitum adpellat. Limites fortuiti quicumque essentiales arguunt, neque in hoc vniuerso reperire est vires, quae non suis circumscriptae sint limitibus.

§. XI.

Ens verum vnum bonum.

Metaphysici ARISTOTELEM sequuti omnibus entibus attribuunt proprietates, quas, quemadmodum explicant, iisdem conuenire negauerit nemo. Ac primo quidem omne ens dicunt esse vnum, quod eius essentia immutabilis et necessaria sit, neque adeo quicquam possit ei, salua ipsa re, aut demi aut addi. Hoc quoque sensu quodlibet ens vnum dixeris, quod in rerum natura nisi semel non existat. Deinde quia varia, quae enti cuique necessaria sunt, secundum principia contradictionis et rationis sufficientis coniuncta sunt; ordinem autem dicunt quamuis variorum secundum regulas connexionem: nihil obstare putant, quominus cuique enti ordo tribuatur. Neque attributa entis pugnare inter sese possunt. Sed quoduis ens est id, quod est, siue habet omnia, quae ipsius essentiae et naturae debentur. Hinc effici dicunt, vt omne ens sit verum. Quum denique perfectionem dicant consensum variorum cum siue; in omni autem ente omnes determinationes eo tendant, et in eo consentiant, vt ens sit ens, non autem non-ens; vt sit hoc ens, nec aliud: omni enti recte perfectionem attribui docent. Haec quidem omnino plana esse, facile largior; sed quid ad sapientiam conferant, non aequae intelligo. Hae sane notiones transcendentales id incommodi habent, vt vim ac potestatem verborum perturbent, et lochomagiis locum faciant. Quod notionem
veri-

veritatis attinet, eam in Logica fufius explicatam dedimus: ordinis ac perfectionis nominibus quae vis ac potestas fubiefta fit, deinceps explicabimus.

§. XII.

Omnes res, quae funt, aut funt, fcholaflici ARISTOTELEM fequuti duobus generibus et claffibus comprehendi poffe docuerunt; quarum ad alteram fubftantia pertineat, alteri vero, quae accidentia dicunt, fubiefta funt. Vocabulo ὑποστασις ARISTOTELES in libris metaphyficis vltus non eft, fed quod fcholaflici fubftantiam vocant, illud ARISTOTELI eft ὄνεια; cuius vocis diuerfos fignificatus exhibet Metaph. L. III. C. VIII. Subftantiam autem dicunt effe, quae per fe fubfiftat nec fubfiftetur ab alia re: accidens vero, quod non poffit per fe fubfiftere fed alii rei in fit. Quae definitiones, vt verum fateamur, funt illae quidem vitiofae et obfcurae; quoniam fubfiftendi vocabulo vtuntur, quod non minorem habet, quam ipfum fubftantiae verbum, obfcuritatem. Sed poffunt tamen, cum iis comparatae, quae de his rebus dicuntur, et quae iis tamquam generibus fubiiciuntur, facile intelligi. Scilicet fubftantia nihil aliud illis eft, quam ipfa efferentia rei, et quidquid fubftantiam inter et efferentiam intercedit difcriminis, in hoc omne pofitum eft, quod, qui de efferentia loquuntur, hoc potiffimum fpectant, quid ex iis, quae rebus infunt, rationem ceterorum, quae infunt, aut inefle poffunt, omnium contineat; qui autem de fubftantia differunt, hoc quaerunt, quae res eiusmodi fit, ut rationem, cur effe poffit, non habeat in alia re fecum coniuncta, fed poffit etiam

Subftantia
et acci-
dens.

etiam remotis aliis, quibuscum coniuncta est, esse et permanere; idque per se subsistere dicunt. Cetera omnia accidentium nomine complectuntur, id est, quae non possint, nisi positis aliis esse; quia rationem, cur sint, et esse in re possint, non in se, sed in aliis habeant. Notiones substantiarum et accidentium sic explicatae, quemadmodum ex sensibus ducantur, in Logica expositum fuit. Ab hisce definitionibus haud differunt Baumgartenianae, quas nonnullis vehementer placere video. Definit enim BAUMGARTENIVS substantiam per id, quod potest non existere, tamquam determinatio alterius: accidens contra per id, quod non potest existere, nisi tamquam determinatio alterius; quas nominum explicationes ARISTOTELES loco citato tantum non disertis verbis exhibet. Plures alias definitiones congeffit HENNING'S, quibus hanc substantiae notionem subiungit, quod sit perdurabile eiusmodi, vt salua sui perduratione varias subire mutationes possit. Ex qua definitione cogi putat, omnem substantiam solidam esse oportere.

§. XIII.

Diuerfa
substantia-
rum gene-
ra.

Varia substantiarum genera Scholastici constituunt, praecipua nominare iuuat. Primo itaque substantiam distribuunt in *primam* et *secundam*: illam alias diximus indiuiduum, ad hanc referimus genera et species: secundo in *completam* et *incompletam*: illam dicunt, quae ex natura sua non ordinatur ad constituendam substantiam aliquam tertiam; hanc, quae ad tertiam substantiam constituendam destinata est: Tertio in *communicabilem* et *incommunicabilem*; illam

illam vocant, quae pluribus potest competere, hanc, quae non potest. His adiiciunt *suppositum*, quod dicunt substantiam singularem incommunicabilem et completam. A supposito separant *personam*, quae est suppositum intelligens. Accidentis nouem partem faciunt, quantitatem, qualitatem, actionem, perpeffionem, tempus, spatium, situm, habitum et relationem. Quae denique vtraque classe continentur summa rerum genera, decem *categorias* Graeci adpellant, Scholastici *praedicamenta*. Nos hodie vocem accidentis paullo latius sumimus, scilicet pro omni eo, quod non est substantia. Veteres vocabant accidens praedicamentale. Supra vero vocem accidentis ita vsurpauimus, vt id opponeremus attributis, quod quondam vocabatur praedicabile. Quas haecenus exposuimus notiones, si per se spectantur, non adeo magni vsus esse videntur; ignorari tamen non possunt, quin multa alia, quae sunt in superiorum temporum libris scripta, simul ignorentur. Sed iam ad ea, quae de substantia dicenda restant, progrediamur.

§. XIV.

Schola Leibniziana substantias adpellat sola illa simplicia, seu monadas suas, quas definiunt, quod sint entia vi agendi praedita, seu, quod eodem redit, quae principium mutationum suarum in se continent. Quae quidem definitio vtrum admitti queat, tum dicemus, cum, quale sit id, quod vim dici-nus, et quae eius diuersa genera, constitutum fuerit. Ex vsu loquendi *vis* seu *virtus*, quam GERMANI vocant *Kraft*, Galli la force, significat potentiam agendi: agere autem idem est, ac quicquam producere, aut

Notio virtutis.

certe rationem in se continere, cur quidpiam sit mutatum. Porro rationem explicant per id, ex quo intelligitur, cur aliud sit, cur hoc potius modo sit, nec alio. Si denique vsum harum notionum consideremus, apparebit, vocabulo intelligendi hanc notionem subiectam esse, vt significet notationem eius, quocum aliud, quod intelligitur quodque iam nihil obscuritatis habet, constanter sit coniunctum. Quamobrem rationem haud inepte explicaueris per id, quo posito aliud ponitur, et vim per id, quo aliud continetur, aut quocum *esse* alterius rei coniungitur. Quae quidem luculentiora fient, si, quemadmodum idea virtutis in nobis subnascatur, cogitaueris. Oritur autem haec notio, cum cernimus, ex rerum quarumdam vicinia earumque motu, aut in alias res impulsu, novos in nobis sensus et in rebus ipsis novos motus, aut formae mutationes continuo sequi. Deinde propositi nostri conscii experimur, conatu nostro ideas in mente variae mutari, et in corporis nostri membris motus excitari. Id hisce autem euentibus non solum animae mutationem expetitam sequi, verum ipsam praeprimis animae nostrae aliquam energiam seu efficaciam sentimus. Actionis igitur aut efficientiae notio, simplicibus plane adnumeranda, notat aliquid longe diuersum ab eo, quod res alias earumque mutationes alias subsequatur, aut quod haec illam tempore antecesserit, aut antecedere solita sit, quamuis nos saepius aliud efficientiae indicium non habeamus. „Non sic „caussa intelligi debet, inquit CICERO de „fato C. 15. vt quod cuique antecedit, id ei „caussa sit, sed quod cuique efficienter antecedit.“ Fallitur itaque HVMIVS, cum ne-

gat,

gat, virtutis notionem per sensus comparari posse. Ex his sane observationibus patet, notionem virtutis et a sensu interno, et ab externo nobis suggeri; quamvis qualis sit, plane doceri nequeat. Cognitio modi, quo aliquid efficitur, cuius ratio ex virtutis alterius rei arcessitur, nihil est aliud, quam plena perspicientia adiunctorum, quibuscum illud ipsum, quod vi efficitur, coniunctum atque copulatum est.

§. XV.

Quid sit actio, quid perpeffio, etsi ex dictis vtrumque intelligi possit, quia tamen harum notionum vsus est frequentissimus, eas paullo distinctius explicare iuvat. Virtutem etiam diximus principium mutationum: duo autem omnium, quae euenire rebus possunt, mutationum genera sunt; quorum alterum actionibus, alterum perpeffionibus continetur. Actiones sunt mutationes, quarum est in ipsa re, quae mutatur, ratio, perpeffiones autem, quarum in alia re est. Sed actiones etiam dupliciter distribuunt, in eas scilicet, quae rem agentem non egrediuntur, neque in alia re, ab agente diuersa, quicquam mutant; et in eas, quae agentem egrediuntur, et in alia re vim suam exferunt; quarum illas *immanentes*, has *transcendentes* seu *influxus* adpellant. Omnes itaque actiones, quas sensibus externis cognoscimus, non sunt nisi influxus. Quia autem actiones et perpeffiones inter modos referuntur, neque nullus rei modus inesse potest, qui essentiae repugnat, omnium cum actionum tum perpeffionum ex essentia arcessi potest, cur fieri possit, ratio, quam agendi et patiendi potentiam adpellant. Potentia autem agendi etiam facultas

Actio et perpeffio.

dicitur: perpetiendi autem *patibilis* qualitas die *Empfänglichheit*. Ratio, cur contrarium mutationis sequatur, *impedimentum* dicitur; quod, si est effectus virtutis, *resistentia* audit. Influxus substantiae in eam, a qua mutationem patitur, *reactio*, et denique perceptio eiusmodi, quae ex coniunctis pluribus, quas singulas non distinguimus, enata est, *phaenomenon* dicitur.

§. XVI.

Quae notione virtutis genericae subest obscuritas, eadem in diuersis virium speciebus, deprehenditur. Vires enim non cognoscimus, nisi ex phaenomenis; sed haec sunt effectus virium, non ipsae vires. Naturam igitur virium in se spectatam nos ignorare confitendum est; licet ex connexionione necessaria, quam inter plura phaenomena obseruamus, colligere liceat, vires qualescumque subesse. Neque aliud nobis vires in diuersa genera distribuendi fundamentum suppetit, quam quod a diuersitate phaenomenorum ducitur, quo etiam fit, vt vires ipsae ab effectis nomina sortiantur. In hac tamen re cautio esse debet, ne genera virium pro numero diuersorum phaenomenorum multiplicanda esse putemus. effectus enim et phaenomena non solum forma earum rerum, in quas vis se effundit, sed etiam natura earum, quibuscum coniungitur, variari possunt. Omnino autem duo virium genera constitui possunt. Primum eorum effectuum principia continet, quae certas connexiones aut internas vis agentis mutationes supponunt: ad alterum pertinent internae virium ad efficientiam determinationes, quas res quaeque per se, extra nexum cum aliis, inditas habet: illas *relatiuas*, *hypotheticas*, aut
 deri-

deriuatiuas, has *absolutas* et *primitiuas* adpellant. Vires itaque deriuatiuae a primitiuis nihil differunt, nisi quod cum aliis rebus, a quibus ipsae non pendent, coniunctae sint, primitiuae non item. Certe vires nos quidem, nisi coniungendo eas cum aliis rebus, aut ab iis separando, mutare nihil possumus. Cum igitur vires nisi ex phaenomenis non dignoscamus; phaenomena autem ex coniunctione plurium rerum proficiunt; facile intelligitur, cur vires primitiuas explorare non possimus. Sin vero eas vires primitiuas vocare lubeat, quod quidam faciunt, quae aliarum virium principia haberi possunt, ipsae vero ex aliis deriuari nequeunt, omnis earum cognitio nobis deneganda non videtur. Atque huius generis vires exploratas habere ad ampliandas scientias philosophicas plurimum interest. Explorari autem duobus potissimum modis possunt: primo cum eam, quam virium in diuersis adiunctis agentium effectus prae se ferunt, similitudinem obseruamus: alter modus conclusionibus analogicis continetur, cum ex virtute aliis in casibus obseruata, quae certa adiuncta habet, praesumimus eosdem vel similes effectus, quorum tamen nulla adhucum, aut certe non plena habetur experientia.

§. XVII.

De viribus vtriusque generis quaestio est, An vires
semper
agent. an semper efficaces sint, nec ne. LEIBNIZIVS quidem omnem vim cum perpetuo agendi conatu coniunctam esse existimat. „Differt vis „actiua, inquit, a potentia nuda, vulgo scholasticis cognita, quod potentia actiua scholasticorum seu facultas nihil aliud est, quam propinqua agendi possibilitas; quae tamen aliena

„excitatione et velut stimulo indiget, vt in
 „actum transferatur. Sed vis actiua actum
 „quemdam, seu ἐντελεχειαν continet, atque
 „inter facultatem agendi, actionemque ipsam
 „media est, & conatum inuoluit; atque ita
 „per se ipsam in operationem fertur, nec auxi-
 „liis indiget, sed sola sublatione impedimenti.“
 Id quod exemplis grauis suspensi funem susti-
 nentem intendentis, aut arcus tensi illustrari
 posse arbitratur, Act. Erudit. Lips. 1694. pag.
 III. Verum de quo genere virium haec LEIB-
 NIZIVS valere velit, non explicat. Deriuati-
 uas quidem si intelligat, experientias alias op-
 ponere licet. Si vero primitiuas intelligat, ad-
 fertio ista probanda erit. --- Immo qui LEIB-
 NIZIVM sequuntur, rem argumentis ostendi
 posse docent. Primum quidem inde arcessunt,
 quod vis actualis, nisi conatum agendi inuoluat,
 a nuda agendi possibilitate nihil differat. Deinde
 intelligi posse negant, qua ratione ex substan-
 tia non agente fiat agens; aut saltum hic admit-
 tendum esse, aut Deum aliquem ex machina ad-
 uocandum contendunt. Denique varias ac mul-
 tiplices experientias proferunt, quibus perpetuus
 rerum naturalium nisus ostendatur. Verum
 haec omnia argumenta eam probandi vim
 non habent, vt certitudinem metaphysicam
 progignant, quamquam nec contrarium eui-
 denter demonstrari possit. Vires scilicet pri-
 mitiuae abstrusiores multo sunt, quam vt qua-
 les sint, certis indiciis doceri queat.

§. XVIII.

An omni-
 bus sub-
 stantiis vis
 insit.

Alterum, quod hic quaeritur est, vtrum
 cuique substantiae vis attribuenda sit. Qui sub-
 stantiam definiunt, quod sit ens agendi vi prae-
 ditum,

ditum, hic nihil dubitant. Alii vero, licet cuique substantiae virtutem inesse non negent, argumenta tamen exquirunt, quibus efficiatur, ut cuique substantiae vis attribui possit. Quidam ita concludunt: siquae substantiae vi non sunt praeditae, frustra existunt. Alii argumentum, quod Ontologiae maxime consentaneum videtur, ducunt, ex inpenetrabilitate, quae cuique substantiae, quia alicubi existat, propria esse debet. Vnde si ex omni parte vrgatur, non poterit non resistere. --- Verum exigitne haec resistentia vim actiuam, aut etiam conatum agendi? quae sunt illae res, si experientiam ducem sequamur, in quas inpenetrabilitas cadat? in sola corpora, an etiam in omnes omnino substantias? et quibus id argumentis ostendemus? sunt denique, qui vim cuique substantiae hoc argumento adstruant: Nullae nobis, inquit, haecenus innotuerant substantiae, quin vi quadam, aut agendi potentia gauderent; ergo iis saltem rebus, quarum experientiam habemus, virtutem agendi tribuere licet. Neque vlla res suam existentiam, nisi influxu quodam, siue proximo, siue remoto, nobis manifestare potest.

§. XIX.

Vim denique non tamquam substantiam, sed tamquam aliquid, quod substantiae inest, concipere solemus, vnde quaelibet vis substantiam, tamquam subiectum, cui inest, postulat, neque vlla, si sensum communem sequamur, a substantia sua separari, & migrare in aliam potest. Verum in quavis substantia non esse nisi vnā vim primitiuam, quod pluribus placere video, quomodo ex notionibus metaphy-

licis cogi possit, non intelligo. Variæ tamen virium differentia ac dissimilitudines cogitari possunt: aut a) enim spectamus in iis effectus, qui sunt vel accidentia, vel alia substantia: vires quas sentiendo cognoscimus: non producant nisi accidentia: aut b) quantitatem seu copiam effectuum; hinc vires alia sunt finitæ, alia infinitæ: aut c) obiecta, in quæ se se exerunt; huc pertinent vires, quarum alia actiones transeunt, alia immanentes efficiunt: aut d) denique modum, quo se se exerunt; iede nascuntur vires independentes, mere agentes, numquam patientes, aut cum agentes tum patientes.

II.

De universalioribus relationibus.

§. XX.

Determinationes internas, de quibus supra expositum fuit, dupliciter distribuere licet: primo in eas, quæ rebus ita adhaerescunt, ut nullum cum aliis nexum supponant: deinde in eas, quæ ipsis quidem rebus insunt, sed ex nexu aliarum rerum extrinsecus adueniunt; illas *absolute internas*, has *extrinsecus aduenientes* vocabimus: sic vis primitiua substantia determinatione absolute interna est: actio vero, ad quam vis hæc alieno stimulo excitatur; determinatione extrinsecus adueniens erit. Huius generis determinationes ita cum iis rebus, a quibus proficiuntur, iunctæ copulataeque sunt, ut sine iis non possint intelligi aut cogitari: quare res ipsæ ad se mutuo *referrî* dicuntur. Sed alio quoque modo res inter se comparari possunt, quatenus *nimirum*



mirum affectiones communes aut diuersas habent, quin tamen earum, quae rebus comparatis insunt, affectionum ratio in alterutra contineatur. Relationes hasce *ideales*, illas *reales* appellant. Ipsa autem relatio in eo posita est, vt vnum intelligatur ex alio sitque alterius. In vtroque relationum genere tria occurrunt, relatum seu subiectum, correlatum seu terminus, et denique fundamentum: *subiectum* et *terminus* sunt res comparatae; *fundamentum* ea affectione, in qua comparantur, aut actione, quae comparandi causam praebet, continetur. Ceterum cum rei, quae ad aliam refertur, nihil accedat ex relatione, neque aliquid addatur rei, quae ad aliam refertur, vt, quae illi cum hac similitudo coniunctione intercedat, cognoscatur; facile intelligitur, omnem relationem mente et cogitatione contineri. Haud tamen ideo fictae aut vanae sunt ideae relationum. Ex notis enim correlatorum affectionibus non quaeuis resultat idea relationis, sed ea sola, quae vtriusque notis aut affectionibus conuenit, atque ubi relatorum vnum cognitum est, eiusque ad alterum habitudo, alterius etiam notitia parabitur: In omnibus enim disquisitionibus praecipue inquirimus, quatenam aliis rebus conueniant? quid proposito nostro conferant exequendo? quae quibus ad vtilitatem nostram aut habiliora? in rationibus igitur et relationibus, quas vocant, inuestigandis omnes fere scientiae ac disciplinae occupantur. Quare plurimum refert praecipua relationum genera perspecta habere. Sunt autem fere sequentia, identitas, similitudo, aequalitas, ordo, perfectio, tempus, spatium, causae et nexus, quae quales sint, iam videamus.

§. XXI.

Identitas. Quemadmodum de pluralitate rerum iudicia nascantur, in Logica declaratum fuit. Si res plures determinationes sibi communes habent, vel si plures res sunt eiusmodi, vt in earum vna sit omne id, quod est in altera, *eaedem* dicuntur. Itaque mutuo sibi inuicem substitui possunt. *Diuersae* vero res sunt, quarum vna continet aliquid, quod non est in altera. Diuersorum duo genera sunt: vel enim posito vno tollitur alterum, vel non tollitur: si tollitur, duo *diuersa opposita*, si non tollitur, *disparata* vocantur. Oppositorum duas quoque formas faciunt, si enim posito A tollitur B, tum sublato B vel vicissim ponitur A, vel non ponitur: si ponitur, opposita sunt *contradictoria*, si non ponitur, *contraria*. *Idem numero*, quod idem ipsum quoque vocatur, est, quod de se ipso tantum dici potest v. g. idem Plinius, qui epistolas scripsit, Traianum oratione panegyrica collaudauit. *Idem specie* est, cum plura indiuidua conueniunt in conceptu illorum specifico. Quae eidem speciei subiecta sunt, numero differre dicuntur; quod ea, si ab hominibus discesseris, in quibus necessitas aliud fuasit, non peculiaribus nominibus adpellantur, sed tantum numerantur. Ad identitatem numericam refertur *personalitas*, quae, quia reminiscentia praeteriti et status praesentis conscientia continetur, nisi in substantia cogitante locum non habet. Quare etiam sublata reminiscentia omnis personalitas tollitur, si vero de identitate rerum compositarum quaeritur, quam de iis notionem animo in-formaueris: res corporeae, in quibus mechanismus non spectatur, *eaedem* manere iudicantur, dum omnes materiae partes relinquuntur. Cor-
pora

pora autem organica et artefacta, vbi homines materiae identitatem non curant, eadem dicuntur manere, dum similis prorsus manet coagmentatio aut structura artificiosa iisdem vsibus idonea; licet indies mutetur materia nouis partibus in locum priorem succedentibus, quod omni corpori animato, iisque, quae gignuntur e terra, contingere cernimus. Hac de re pluribus agit Cl. LAMBERTVS Architect. part. I. C. 6.

§. XXII.

Identitas qualitatum *similitudinem*, quantitatum *aequalitatem* constituit. Atque quid est qualitas, quid quantitas? Qualitates sunt, inquit, notae internae, quae sine adsumto alio intelligi possunt. Quantitates vero, quae dari quidem, at non intelligi sine adsumto alio possunt: ast vereor, vt hac explicatione omnes adquiescant. Hae nimirum notiones vniuersaliores multo sunt, quam quae definitione satis explicantur. Similitudo porro attributis vel modis continetur. Hinc duo illius genera statuunt, vnum, quod identitate attributorum, alterum quod accidentium identitate constat: illam *essentialem*, hanc *accidentalem* adpellant. Essentialem porro in similitudinem *καθ' ὁμοιοτητα* et in aliam *καθ' ὁμοιοτητα* distinguunt. Quantitas quoque duplicis est generis, alia enim partibus seiunctis inter se, siue discretis, alia vero partibus vnitis constat. Prior quantitas discreta siue numerus et multitudo; posterior continua siue extensio et magnitudo dicitur. A quantitate extensiuua differt intensiuua, quae in viribus simplicibus, earumque effectis inest. *Metiri* est magnitudinis cuiusque vnitatis loco sumtae rationem ad aliam quamcumque inuenire: vnitas illa

Similitudo, aequalitas.

illa mensura dicitur, quam arbitrariam esse, diuersitas mensurarum diuersis locis receptarum declarat. Ratio est comparatio eiusdem generis rerum, qua vnus rei magnitudo colligitur ex magnitudine alterius: quae sunt in eadem ratione magnitudinis, iis analogia seu proportio tribuitur.

§. XXIII.

Ex hisce notionibus deduci varia enunciata, quorum frequens vsus est, possunt. a) Quatenus duo cum tertio conueniunt, eatenus sunt eadem: vtrumque enim eidem illi tertio absque vlla mutatione surrogari potest; ac proinde etiam alterum alteri. b) Cum ratio sufficiens in eodem tertio continetur, illa eatenus sunt eadem: in eo quippe inter se conueniunt, quod rationem sui sufficientem in eodem tertio habeant. c) Sicubi eadem sunt essentiae, eadem esse attributa quoque necesse est. Cum enim attributa rationem sui sufficientem habeant in essentiis, essentiae autem eadem ponantur; in confesso est, rationem sufficientem attributorum in eodem tertio contineri; sunt ergo attributa eadem. Hinc facile intelligitur ex diuersis essentiis diuersa promanare attributa. d) Quae eandem essentiam, attributa, aut modos habent, sunt sibi similia. Haec enim omnia nomine qualitatuum veniunt. Non minus manifestum est dissimilia esse, quorum essentia, attributa et modi diuersa sunt. e) Quae eidem tertio sunt similia, sunt quoque inter se similia. Nam si eidem tertio sunt similia, cum eodem qualitatibus conueniunt. Conueniunt igitur etiam inter se, atque adeo sibi similia sunt. Cuncta, quae in rerum natura existunt, aliquam inter se obtinent similitudinem. Quae denique

que sunt eidem tertio aequalia, sunt quoque inter se aequalia: item, quae sunt aequalia aequalibus, sibi quoque ipsis sunt aequalia. Verum de his copiosius Mathematici.

§. XXIV.

Identitate, similitudine, et aequalitate nititur principium *indiscernibilem*, quod ita dicunt, propterea quod si duo entia essent sibi in omnibus perfecte similia, nullo modo a se invicem discerni possent. Principium hoc quondam a Stoicis cognitum iam, defensumque legimus, qui omnia sui generis esse, nihil esse idem quod sit aliud, docuerunt. Frequentiorem vero huius adserti usum debemus LEIBNIZIO. Verum quae pronunciati huius vis atque sententia sit, magna est inter Metaphysicos dissensio. Sunt, qui ita interpretentur, ut entia duo perfecte similia absolute repugnare contendant. Primum, quod, si quae talia entia forent, non duo, sed vnum efficerent; deinde, quod ne ab intellecta diuino quidem dignosci possent. Verum quomodo ipsis notionibus repugnet, quominus eadem res bis terue sit, non video. Quod de intellectu diuino addunt, nimium videtur; quid enim ab intellectu diuino comprehendere possit, quid non, ex ingenii nostri tenuitate aestimare non audemus. Alii, etsi duo entia perfecte similia per se repugnare non defendant, in hoc tamen mundo existere posse negant; idquod argumento ex principio rationis sufficientis ducto euincere conantur. Verum huc dictum principium nihil pertinere alio loco docetur. Sunt denique alii, qui ex hac quaestione relationes loci ac temporis remoueant, reliquis vero qualitatibus duo entia ita similia esse negent,

Principium indiscernibilem.

quodlibet ab intellectu diuino

ut

vt nihil inter ea intersit, nihil differant. Id quod innumeris exemplis ostendi posse dicunt. Sane videmus, hoc vsu venire, vt quae numquam putassemus a nobis internosci posse, ea, consuetudine adhibita, tam facile internoscemus, vt ne minimum quidem similia esse viderentur. Deinde hæc opinio, aut si mauis, hypothesis, mirum est, quantopere phaenomenorum explicationem iuuet ipsamque mundi perfectionem commendet. Si denique sumere liceat, res continenter labi mutarique, fieri vix potest, vt, siquae similes sint, diu permaneant.

§. XXV.

Quid censendum de rerum diuisione?

Rerum similitudine continetur diuisio earum in classes, veluti genera et species: ex hisce generibus et formis effinguntur notiones, et eae, quibus hae ipsae notiones explicantur, enunciationes, seu definitiones. Quae quidem notiones si ita constituendae sunt, vt non solum per se se dignosci, verum etiam ad res existentes transferri queant, difficultatis habent plurimum. Aut enim eas res, quae eandem essentiam habent, ad eandem pertinere speciem statuis: quarum dein varietates seu species subalternas per similitudinem, quae ex adcuratori essentiae determinatione existit, & genus per similitudinem diuersarum essentiarum definis: aut has notiones ita explicas, vt speciem plena absolutaque essentiarum similitudine, genus verò minus plena contineri dicas: vtroque in casu multa occurrunt, quae explicatus habent difficillimos. Ac primo quidem si quaeratur, qualem essentiam hic intelligas, realem an notionalem: deinde vtrum plura indiuidua, quae in vnam speciem concluduntur, per omnia inter se

se conueniant, aut, si plena similitudo ad speciem constituendam non requiratur, quanta esse debeat, quid responderi possit, non facile succurret. Cum essentiam absolutam ignoremus, de ea quaeri id non potest, illa igitur hic relinquitur, quam hypotheticam diximus, et quae complexu constantium, immutabilium et nobis cognitarum proprietatum continetur. Harum igitur essentiarum species vt constitui possit, primo determinandum est, quae sint illae proprietates, vt in has vel illas res constanter cadant, qualis illa immutabilitas, hypothetica an absoluta: deinde vtrum plures illae res, quae ad vnam speciem referuntur, hisce proprietatibus omnino sint similes, et an eae, quae ad diuersas species referuntur, iisdem omnino differant. Si vero essentiam hypotheticam sumas, quae notionem certae speciei iam supponat: ab reditu in orbem, haud cauebis, si ad probandam notionem indiuiduorum ad eandem speciem pertinentium similitudinem adsumas.

Notiones specierum, quae hypothetica essentia continentur, vulgares ex obseruatione et notatione constantis similitudinis, quam proprietates rerum indiuiduarum praestant, facili negotio intelliguntur: at quis non videt, notiones haec multo fluctuare, neque satis exploratas definitasque esse. Quare etiam limites et fines classium certo discrimine separare haud licet. Scilicet vocabulum ambiguum alio non minus ambiguo et incerto explicamus. Si in notionibus simplicibus, aut non adeo complexis versamur, si verba suppetunt, quorum potestas certa, et definita est; explicatio notionum vniuersalium, formarumque a se inuicem separatio facile succedit: Verum longe aliter res se habet,

habet, si minerae, si plantae, si animantia in certas classes describenda sunt. Horum equidem corporum ex inductione confici notiones generales et descriptiones in classes possunt: verum indignari haud poteris, si alii hanc descriptionem arbitrariam adpellaverint. Fac etiam, homines certae cuiusdam aetatis in certam classificationem consentire; num etiam posteritati probabitur? si quis igitur quaerat, rerum classificationes, genera, species et quae sunt alia huiusmodi nomina, ad nostrum solummodo usum excogitata inuentaue sint, an etiam ex ipsa rerum natura ducta: respondeam ego quidem: si in rerum natura sint res singulares et indiuiduae, quarum constantes et inuariabiles proprietates eadem prorsus existant: consistendum quoque erit, in rerum natura esse species, quae certis fixisque limitibus separentur. Si vero paullo largius notiones accipias, si eas res, quae praecipuis et pluribus proprietatibus inter se conveniant, ad eandem speciem referas; dubitari nequit, quin descriptiones rerum in genera et species iure optimo retineantur.

§. XXVI.

Ordo. Similitudo, quae in coniunctione variorum cernitur, *ordo*, illud vero, ex quo intelligitur, cur varia hoc potius modo quam alio, juncta sint, *regula* ordinis dicitur. Quare et duplex ordinis genus est. Nam quod vna regula continetur facile intelligitur, quia omnes alias respuit regulas, esse necessarium: in quod autem plures & diuersae cadant regulae sine repugnantia, id fortuitum et arbitrium dicunt. Et praeterea ordo alius alio major. Neque enim dubitari potest, quin major ordo is sit, in quo

num-

numquam est a regula aberratum, ad quam informatur et componitur. Et quoniam plures interdum regulae in vno eodemque ordine simul habere locum possunt, quando, scilicet non vno ad eum constituendum consilio acceditur: hunc quoque ordinem, qui omnibus adcurate respondet regulis, recte dicimus majorem eo, qui vni tantum aut paucis consentit. Accidit autem interdum, vt vbi major est rerum ordinarum complexus, ipsaeque ordinis regulae non satis obviae et expositae, summus ordo videatur confusio. Quare ad ordinem perspicendum saepe opus est iudicii acrimonia. Explorandi autem intelligendique ordinis duplex via est, atque ratio. Altera, quae cognitis, regulis, quibus ordo continetur, ad eas exigit ordinem ipsum, et, num eas sequatur adcurate quaerit: altera quae ex ipsa rerum collocatione, dispositione et descriptione, quae in ea fingenda constituendaque propositae fuerint regulae, colligit, et num eandem sit in iungendis rebus rationem, idem consilium sequutus is, qui dispositionis est auctor, inquit. Quarum quidem quae posterior ratio est, quin sit priori illa multo operosior et difficilior, atque etiam difficillima tum, cum est rerum magna multitudo, quae ad ordinem certum coacta sunt, nemo est, qui dubitet. SEARCHIVS in ea est haeresi; omnem ordinem ea solum, cui quisque aduetus est, idearum serie ac successione contineri. Quae adsertio, plus veri an falsi contineat, haud facile dixeris. Videatur VLLRICH Metaphis. §. 19. Ceterum praeclara sunt, quae idem SEARCHIVS hac de re obseruat, cui adiungendus est HOMIVS.

msup ha §. XXVII. De msup huius
 Perfectio. Perfectionis nomen multos, variosque signi-
 ficatus habet: praecipuos indicare iuvat. Ac
 primo quidem quaeuis proficua et utilis rei pro-
 prietas perfectionis nomine venit: quae qui-
 dem si rei, cui inest, prodest, *interna et im-*
manens, si vero ad aliam refertur, *externa et*
transiens vocatur. Internam negant esse posse,
 nisi voluptatem, felicitatem, quam proinde
 etiam perfectionem *physicam* HVTCHESO-
 NIVS vocat. Omnem porro perfectionem di-
 stribuunt in eam, quae ab omni imperfectione
 libera est, et eam, quae imperfectionem quam-
 dam adiunctam habet, aut certe infert; illam
 puram, hanc impuram vocant. Fieri itaque
 potest, ut eadem res sub diuerso respectu per-
 fecta sit. Ex his praeterea notionibus efficitur,
 ut defectus proprietatum positivarum per se
 non inferat imperfectionem; sed tum solum-
 modo, cum rem aut minus beatam aut aliis mi-
 nus utilem reddit. Neque quaelibet positiva pro-
 prietas sub omni respectu dici perfectio potest.
 Quod perfectionem rerum compositarum
 spectat, eam in consensu plurium ad finem com-
 munem reponunt Metaphysici. Quare uti or-
 dinem, ita perfectionem subiiciunt regulis, id
 est, formulis, quibus et id, quod praestari de-
 bet, et modus declaratur et ratio, qua, quae
 rei insunt, ad efficiendum illud conspirare de-
 bent. Ex regularum, quibus perfectio isthaec
 continetur, numero duo perfectionum genera
 constituunt. Nam quae singulis regulis ad-
 strictae perfectiones sunt, simplices, quae plu-
 ribus, compositas dicunt. Quodsi pugnent
 inter se regulae et perfectiones, quae per se
 singulae in rem cadere possunt; facile intelli-
 gitur,

gitor, alteram perfectionem amplectendam et adhibendam, alteram deserendam adeoque a regula altera recedendum esse; neque tamen putandum est, rei ipsius perfectioni obesse minoris perfectionis praetermissionem: nam quum haec non possit cum majori consistere, atque cum ea coniungi, etiam neglecta illa nihil deest perfectionis, quod inesse potest. Ex quo efficitur, ut esse res in suo genere perfectissima possit, etsi perfectio minor et majori repugnans neglecta et praetermissa sit. Quod qui negant vereor, ne de verbis potius, quam de re pugnent. His expeditis facile erit de magnitudine perfectionis iudicare. Quo enim est regularum numerus maior, quo regulae seruantur accuratius, quo delectus perfectionum singularum est ad consilium rei adcommodatior, quo denique ipsum consilium est praestantius, eo rem ipsam dicemus perfectiorem esse. Ceterum quae de ratione ac via explorandi ordinis diximus, ad perfectiones indagandas quoque adhiberi posse, facile intelligitur.

§. XXVIII.

Quae ita diuersa sunt, ac ita disiuncta, ut *Spatium* suam quodque essentiam habeat, extra se sunt. Sed qui ad verborum vim satis attendunt, hi *spatium* cogitare nos tum intelligunt, cum res a se disiunctas quidem et extra se positas, sed quadam ratione coniunctas tamen cogitemus. Quare *spatium* sic definiunt, ut sit series rerum extra se positarum. Qua spatii notione constituta, *locum* dicunt determinatam spatii partem, *fitum* vero modum vocant, quos est res aliis iuncta. Ex his concluditur, plura entia *spatium*, singula *locum* occupare, atque omne ens

esse alicubi, neque posse sublati rebus omnibus spatium relinqui, aut spatium sine rebus esse. Neque tamen putandum est, positis ipsis rebus illico haberi spatium. Ipsarum enim rerum series cogitari debet: quare notio spatii inter relationes numeranda est. Si quaeras, spatium substantia sit, an accidens, responsio est in promptu. Ex his porro efficitur, inane, quod vocant, non esse spatii speciem, sed negationem. Nimirum spatium et inane tum sibi opponuntur, cum nomine vacui absolutum quid significatur. Nonnumquam inane relatiue sumitur; cum absentiam harum praecise rerum notat, atque tum spatium aliquo modo opponitur. Sed haec spatii explicatio non omnibus, probatur: quum multi sint, qui spatium putent esse naturam extensam, partibus simillimis et iisdem, continentem, quae diuidi quidem mouerique loco nequeat suo, sed possit tamen a corporibus permeari, aeternam, necessariam, a nullo denique auctore sui ortam. In qua sententia summos omnis aetatis fuisse, et cum maxime esse constat. Et sane huic sententiae maxime suffragatur phantasia; quae natura sua ad fingendas rerum incorporearum imagines fertur. Et est hoc in ea percommodum, quod, ea sumpta, facilius, quomodo corpus corpori cedere mouerique loco possit, intelligitur; quum ex illa consequatur, omnia esse corporibus plena, nihil vsquam vacui: quo constituto non adeo facile est, quomodo corpora moueri possint, expedire. Qua de re legi meretur **LVCRETIVS L. I.** Quare si vel maxime prior illa notio probetur, non tamen altera videtur repudianda, quod non possumus ea, imprimis in geometricis et in doctrina de motu eiusque di-

men-

ensione carere: modo teneamus, ideam istam tantum abstractam, vt loquuntur Philosophi, esse et posse quidem alteri, quam attulimus, substitui, quando est de quantitate eius sermo; sed tamen cauendum esse, ne periculosae sententiae et Theologiae naturali inimicae ex eo inferantur. Id quod ii facere videntur, qui cum CLARKIO spatium Dei *sensorium* esse volunt.

§. XXIX.

Quae autem spatii, eadem temporis ratio Tempus. est, in cuius notione informanda, qui phantasia sequuntur, quoddam quasi filum cogitant partium earumdem, continens, quodque diuidi nequeat. Sed quemadmodum spatium congregatione rerum, quae sunt, ita tempus successionem mutationum continetur. Quare recte definitur per seriem mutationum ipsisque relationibus adnumeratur. Notionem temporis sic explicatam exemplis illustrat LVCRETIVS Lib. cit. ex quo intelligitur, quidquid fit et est, quia ante, quam fieret, non erat, in tempore esse et fieri; et, vbi nihil sit, quod fiat, ibi tempus etiam nullum posse. Itaque quum haec, quae successibus subiectae res sunt, non essent, nec tempus erat; et si tollerentur ea omnia, quae sunt aliquando orta, nec tempus vllum relinqueretur. Ceterum verae notionis loco abstracta illa a phantasia efficta commode adhibetur, vbi de quantitate illius disputatur, nec sine ea dimensio temporis procedit. Cauendum tamen, ne ex notione hac quaedam concludantur, quae reliquis veritatibus repugnent; id quod non satis cauisse MENDELSONIVS in Phaedone suo videtur. Quoniam autem con-

flat, mensuram ei similem esse debere, quod metiendum est, facile intelligitur, temporis mensuram esse rem successioni subiectam, id est, motum aequabilem. Verum cum huius mensurae non semper et vbique sit vsus; spatium temporis ex successione idearum in mente aestimamus. Atque tum tempus nobis breue videtur, cum, praeterfluente mutationum serie, vel plane nullas perceptiones distinctas habuimus, vel mutationum successionem, qua successio est, non cogitauimus. Diuturnum nobis contra videtur tempus, cum gratae ideae animum non occupant. Plura hac de re subtiliter animaduertit HOMIVS in sua critica, qui proinde omnino legendus est.

§. XXX.

Causa.

Hactenus de relationibus idealibus: nunc demum ad alias, quae licet non omnes, maximam tamen partem reales sunt, progrediamur. Ex quo intelligi alterum potest, id *principium* eius dicunt, et cuius in alio ratio est, *principiatum*. Omne autem principium tripartito distribuunt. Primum est, ex quo, quale quid sit, cognoscitur, principium *cognoscendi*: alterum, ex quo, quare et quomodo esse aliquid possit, principium *essendi*, tertium denique ex quo, quare aliquid fiat, perspicitur, principium *fiendi*; quae omnia vna definitione complexus est ARISTOTELES Metaph. L. IV. C. I. *πασων κοινον των αρχων, το πρωτον είναι οδεν η εστιν, η γινεται, η γιγνωσκειται*, sed huic diuisioni aliam adiiciunt, auctore eodem ARISTOTELE, vt omne vel internum sit vel externum principium: quorum illud dicunt, quod est in ea ipsa re, quae ex principio pendet,

det, hoc, quod extra rem est. Principiorum genus illud, ex quo, quare aliquid fiat, intelligitur, vno *causae* vocabulo indicant, quo nomine omne id complectuntur, a quo aliquid oritur. Vt autem omnium principiorum, ita *causae* etiam bipartitum genus est. Nam si id, a quo aliquid oritur, est in ea ipsa re, in qua efficitur, *internam* causam dicunt; sin extra eam, *externam*. Omnium, quibus aliquid efficitur, *causarum* duo genera sunt: alterum, quod sua vi id, quod sub ea subiectum est, necessario efficit; quod quidem genus proprie *efficientium* *causarum* dicitur, per quas, et e quibus res efficiuntur: alterum quod quidem non habet vim et naturam efficiendae alicuius rei, sed sine quo tamen res non potest effici. Huic autem generi, sine quo res non efficitur, duae sunt species subiectae; quarum vnam *materiam* dicunt, ex qua res perficitur, quae efficienti se quasi praebet, et actione eius quasi fingitur: alteram *praecursantem* et *comitantem* commode dixeris, vt occasionem, locum, tempus, et cetera, quae vulgo *circumstantiarum* nomine significantur. Sed efficientium etiam *causarum* duo genera sunt. Quaedam enim sua vi solae possunt, nulla alia re iuuante, aliquid efficere, quas *causas vnicas* vel *solitarias* dicunt: quaedam autem quasi auxilium desiderant, neque possunt rem efficere, nisi coniunctam habeant et auxiliatricem aliam et *sociam* causam. Quoniam autem, quae *sociae* *causae* sunt, communi quidem vi agunt, neque tamen eadem omnes et aequali; *sociarum* etiam *causarum* quaedam in diuersa genera distributio nascitur. Nam quarum praecipua vis est, quaeque non ab alia pendent, has principales et praecipuas;

quae autem per se minorem habent vim, eamque ab alia re agente pendentem, *instrumenta* dicuntur. His duobus generibus tertium quoddam intericiunt, et quasi medium faciunt earum scilicet *causarum*, quae ab aliis quidem pendent, non tamen ita, ut omnem ab iis vim ad efficiendum accipiant, sed, ut, quae propria ipsis vis est, ab alia superiori et nobiliori causa dirigatur, quas *administras* vocaueris. Cum denique plures causae ita inter se aptae sunt et copulatae, ut omnes ab antegressa vna pendeant, neque possit quaecumque earum auferri, quin, quae eas sequuntur, simul tollantur, *seriem* causarum dicunt; transitum PLINIVS Hist. Nat. L. XV. C. 19. In ea serie, quae ita rem effectam antecedit, ut nulla alia interiecta sit, *proxima*, ceterae *remotae* dicuntur.

§. XXXI.

Finis,
Forma.

Enumeratis hactenus causarum generibus alii duo adiiciunt Philosophi, *finem* et *formam*. *Finem* dicunt rationem, propter quam causa efficiens agit, *formam* autem ipsam rei essentiam, ex qua quippe intelligi potest, cur, quae rei insunt, ipsi sint attributa. Sed quia, quod quis nescit nec intelligit, eo non potest ad agendum commoueri, intelligitur, eum, qui propter finem agat, ipsum illum finem nosse debere: Finis igitur supponit causam intelligentem. Deinde quia finis est tantum id, propter quod aliquid efficitur, non autem per quod, aut cuius vi: illud quoque consequitur, sine proposito cogitandum esse; quomodo, et quibus rebus adiutus ad finem peruenire possis; quae *media* vulgo dicuntur: qua inter adpetitio-

tionem finemque interiecta sunt. Ex quo colligitur id, quod dicunt, qui finem petat, eundem a mediis alienum non esse. Duo autem finium genera constituunt, vna enim eademque res quum propter plures diuersasque rationes suscipi possit, in ea etiam plures fines sequi possumus; quorum qui summus est, maximeque petitur, eum *principem*, ceteros, qui huic quasi sunt subiecti neque tantumdem spectantur, *secundos* dicunt. Denique quemdam quasi ordinem finium seriemque, ut caussarum efficientium faciunt: in qua, qui primus attingitur, *remotum*; ad quem, superatis ceteris omnibus demum peruenitur, et cuius adsequendi causa ceteri omnes petiti sunt, *ultimum* et *summum*, qui denique his interiecti sunt, *medios* dicunt, A fine autem differt, *impellens* causa, quae est plerumque in animi habitu aut propensionibus sita, et est ratio, propter quam ad finem aliquem contendimus. Solent homines, quod est impellens causa, in finibus habere: huc pertinet illud OVIDII de foeminis:

*Spectatum veniunt, veniunt spectentur
ut ipsae.*

§. XXXII.

Nunc demum quae ex his notionibus colligi enunciata possint, videamus. Primum quod inde ducitur, ita efferunt: posita ratione ponitur rationatum; seu posita causa indeterminata sua causalitate ponitur effectus, nisi adsit impedimentum. Ex quo porro efficitur, vt, quo plus causae sit positum, eo videatur probabilius, effectum futurum esse. Deinde causae propinquiores maiorem effectus futuri opinionem adferunt, quam quae sunt remotiores.

Enunciata ista, vt ex ipsis notionibus facile intetelliguntur, ita sunt quasi leges, quas in coniecturis faciendis sequimur. Alterum quod huc pertinet, cum adiunctione enunciandum videtur: nimirum, siquid sine causa fieri nequit, idem vt fiat, necesse est causa antecedit: et vbi causa antegressa non est, eius generis res fieri nequit. Hoc solum, nihilo plus euincunt demonstrationes illae, quibus Metaphysici principium rationis sufficientis probare nituntur. Quia porro alterum alterius in tantum causa est, in quantum hoc ex illo sit ortum; sequitur, vt, quidquid fiat per causam, nisi per sufficientem non fiat. Nihil potest ipsius sui causa esse, vel nihil semetipsum producere potest. Fingas enim aliquid semetipsum producere, tum aliud, quoq; semetipsum fingitur producere, et existit, et simul non existit: existit, alias se producere non posset: non existit, quia demum se producere et sibi existentiam largiri fingitur. Hoc vero fieri nullo modo potest; ergo nec illud, vt aliquid semetipsum producat. Non tamen repugnat, vt in eadem re status ex alio statu oriatur. Sed aliter res habere videtur, cum, quod sit productum, idem aeternum esse dicitur. Non equidem naturae diuinae repugnat ab aeterno creare, rebus tamen finitis ab aeterno creari repugnare videtur; si vero neges, quod cum causa sua ab aeterno existit, productum esse, sed huius solum existentiam cum existentia alterius coniunctam adseras; confitendum est, in ipsis notionibus repugnantiam nullam esse; sed hoc etiam velim animaduertas, caput superioris quaestionis prorsus immutatum esse. Si denique seriem causarum contingentium retro
 profe-

prosequamur, perueniendum tandem est ad vnam, quae aliunde non pendeat, quae sit prima et necessaria: seu causarum efficientium fortuitarum series infinita, sine prima et independente repugnat. Cum enim quisque in hac serie terminus sit dependens et effectus; sequitur totam seriem effectam esse, quin aliquid sit extra seriem, a qua tota series pendeat et efficiatur, quod est absurdum. His addi potest, quemque in ea serie terminum, demto vltimo, esse causam et effectum; et pro quoque termino esse effectum vnam et rem effectam; addito autem termino vltimo res effecta esse plures, quam fuerant actiones efficientes, quod pariter absurdum videtur. Qui ad vagam quamdam necessitatem confugiunt, inane nomen pro ratione effundunt.

§. XXXIII.

Alia principia, quae huc pertinent, causarum et effectuum similitudine nituntur. primum ita enuntiant: idem effectus eandem, similis causa similem causam arguit. Veritas hujus principii ex ipsis notionibus elucet. Quum enim vires ab effectis suis dicantur; patet, rebus ipsis, quatenus eosdem effectus producant, easdem vires et causas attribui. Hoc idem axioma ita inuertunt: ex simili causa similis, ex eadem idem effectus proficiscitur. His addunt aliud, hisce fere terminis conceptum: non potest plus esse in effectum, quam est in causa, seu plenus effectus aequialet causae plenae. Idquod pariter ex ipsis notionibus intelligitur. Nam res quaecumque in tantum causa alterius dicitur, in quantum eius existentiam vi sua produxit. At sunt, qui hunc cano-

nem

nem ita interpretantur, vt ex data efficacia datae caussae neque plus neque minus oriri posse, velint, quam per cognitam vim eiusdem caussae effici queat. Quo quidem sensu si hoc principium accipias, eius veritas generali principio rationis sufficientis subnititur, de quo iam adcuratius agendum erit.

§. XXXIV.

Principium rationis sufficientis.

Famosum itaque rationis sufficientis principium sic interpretandum censeo, vt, quidquid aut fiat aut mutetur, fieri aut mutari dicatur, vnius aut plurium virium efficacia et vniuersim sub certis adiunctis, sine quibus aut haec res non existeret, aut talis mutatio non euenisset. Hoc principium non putandum est nostri demum saeculi sapientia excogitatum fuisse. Veteres Philosophi idem iam cognitum habuerunt, nominatim PLATO in Timaeo, ARISTOTELIS Phys. L. V. C. 4. et imprimis CICERO, qui illo pluribus in locis contra Epicuraeos vtitur, idem libro 2. C. 28. de Diuinat: in rem nostram ita differit: „ Quidquid enim oritur, „ quaecumque est, causam habeat a natura „ necesse est: vt, etiamsi praeter consuetudinem extiterit, praeter naturam tamen non „ possit existere. Causam igitur inuestigato, „ in re noua atque mirabili, si potes: si nullam reperias, illud tamen exploratum habeto, „ nihil fieri potuisse sine causa: --- nihil enim „ fieri sine causa potest. “ Ex quo efficitur, vt principium hoc aut innatum, aut certe per se euidens et perspicuum putari debeat: qui primum adserat, hodie arbitror fore neminem: alterum igitur relinquatur. Et sane aequae frustra videntur fuisse, qui hoc principium aliunde, quam

quam inductione et sensu communi demonstrare
 vellent, quam qui rite intellectum et constitu-
 tum reuellerent. Ipsi quoque Epicuræi vim hu-
 ius effiati sensisse videntur, id quod iam olim
 a CICERONE fuit obseruatum, et a quocum-
 que LVCRETII lectore obseruari etiamnum
 potest. Hoc igitur enunciatum non demonstra-
 mus, sed propter plenum omnium experientia-
 rum consensum sumimus. Quemadmodum enim
 illa omnia, quae constans docet experientia,
 pro certis habemus; ita enunciationem, cui
 constans et stabilis experientiarum consensus
 suffragatur, inter principia recensere licet.
 Tametsi igitur originem et modum, quo res
 quæpiam sit orta; experientia nos non doceat,
 si tamen ex eo genere non sit, vt absolute ne-
 cessariis adnumerari queat; rationi consenta-
 neum putamus eius rei causam requirere. Nam
 primo ipsæ notiones eam vim habent, vt,
 quod absolute necessarium et independens ab
 aliis cogitari non possit, adiuncta, sub quibus,
 et virtutem, cuius efficacia factum sit, exqui-
 ramus. Deinde ab omni ratione alienum videri-
 tur, illud potius, quod fieri posse, nec experi-
 entia, nec aliae rationes suadent, suspicari,
 quam illud, quod, cur fieri possit, non intel-
 ligitur. Quare et hoc principium rationi con-
 sentaneum est, vt eorum, quae pro absolute
 necessariis haberi non possunt, rationem et
 causam, quare et quomodo facta sint, inqui-
 ramus. Licet igitur haec principia latius pa-
 teant, quam experientiae nostræ; contra eas
 tamen, nisi aliunde demonstrantur, vsurpari
 non possunt. Neque alias, quam quas experi-
 entia suadet, rationes et causas propter so-
 lam analogiam sumere licet, maxime si cum
 cer-

certis rerum attributis aut aliis veritatibus pugnant. Nam, quae ex analogia ducitur, coniectura, locum non habet, vbi rationes validiores suadent contrarium.

§. XXXV.

Ex nihilo
nihil fit.

Sed quemadmodum, quidquid fit, causam habet, cur fiat; ita etiam, nisi causa efficiens sit infinita, materiam, ex qua fiat, habere debet. Postquam enim rerum natura constituta est, ex nihilo nihil fit. Neque aliud quidpiam euincit LVCRETIVS argumentis suis satis ingeniosis copioseque explicatis L. I. v. 266. et seq. Concedamus enim quodlibet e quolibet oriri non posse, certis temporibus res nasci, opus esse tempore, quo crescant, et materia, qua augeantur; denique certos esse aetatis viriumque terminos, et agros industria, culturaque hominum fertiliores reddi. Supponamus insuper nihil interire, nisi vi aliena dissoluatur, supponamus vnam eandemque vim res cunctas dissoluere non valere, nec naturam aliquid producere, nisi morte aliena adiuuetur. Quid efficiet LVCRETIVS? semina ipsa non fuisse e nihilo producta? aut nihil nutu et diuina providentia fieri? neutrum concludet, ideoque decem argumenta perierunt, licet non tam ingenii sui, quam causae vitio: recte omnino ad hunc locum CREECHIVS illud VIRGILII transfert:

*Si pergama dextra
Defendi potuissent, certe hac defensa fuissent.*

§. XXXVI.

Causae intel-
ligentes.

Quum in cogitando hanc legem sequamur, vt rerum similium similes suspicemur esse causas;

fas; inde fit, vt, vbicumque deprehendimus aliquid, in quo omnia consentiunt ad aliquem vsum, illud ipsum a consilio quodam et mente et ad talem vsum et finem factum esse existimemus: quod principium, *causarum intelligentium* dicunt. Sed in eo haec cautio esse debet, ne aut proximam quamque causam intelligentem putemus, aut cuiusque rei vsum pro fine habeamus. Deinde cauendum a cauillationibus, ne cuiquam alios, quam aliter habuit, fines adfingamus. Quo vitio laborare illi videntur, qui, quum praeclare gesta gentilium reprehendere nequeunt, ea ex vanae gloriae studio perfecta esse arguunt.

§. XXXVII.

Quae inter principia et principitata intercedit relatio, *nexus* dicitur. Quare tot tamque diuersa nexuum genera statui possunt, quot ipsorum principiorum. Omnia tamen ad duo genera reuocari possunt, nimirum ad *nexum idealem* et *realem*: priori generi ea subiiciuntur, quae tempore aut spatio, similitudine, aequalitate, proportione, ordine, et harmonia inter se coniuncta sunt: ad posterius genus pertinent, quae quocumque causarum, maxime efficientium genere continentur. Huc etiam referunt cohaesionem, quae ex mutuo rerum contactu efficitur: cohaesionis autem notio in nobis oritur, quum maiori virtutis impendio opus esse sentimus ad partes corporum separandas, quam ad singulas mouendas.

Nexus.

§. XXXVIII.

Totum denique dicimus id, quod partibus constat, plura vero, quae simul sumpta constituunt

Totum.

tuunt vnum aliquod ens, adpellantur *partes*. Duo pariter totorum genera constituunt, idealia scilicet et realia: cuius vero sit generis totum quoduis datum, ex nexu, quo partes inter se iunctae sunt, intelligitur. Sunt, qui tota alia logica, alia physica, alia moralia adpellent; quibus generibus alii pro partium diuersitate tota simultanea et successiua, continua et discreta, absoluta et relatiua adiiciunt. De diuersis hisce generibus nihil attinet plura dicere: sed illud quaeritur vtrum quoduis totum vim cogitandi supponat. Mihi quidem ita videtur. Nullum enim totorum genus cogitari potest, quin aliquo nexu contineatur, quum porro quisque nexus, siue idealis siue realis constet relatione, relatio autem omnis cogitatione et mente contineatur; dubitari nequit, quin quodcumque totius generis vim cogitandi supponat. Ex eo autem noua oritur quaestio, in quantum nimirum totum possit habere determinationes ab aliis, quae eiusdem singulis partibus conueniunt, diuersas. Qua de re legendus est VLLRICH Metaph. §. 56.

C A P V T II.

DE PRAECIPVIS

RERVM GENERIBVS.

§. XXXIX.

De notionibus rerum vniuersalissimis capite superiore, quam potui, breuissime exposui: non, vt omnia dicerem, sectatus, quod infinitum erat, sed vt maxime necessaria: nunc de praecipuis rerum generibus, quae vtiliora videbuntur, proximum est dicere. Omnes autem res, quae sunt, aut fieri possunt, in duas classes describunt; quarum altera simplices, omnisque compositionis expertes, altera res compositas, et corpora complectitur. Sed simplicium quoque rerum non vnum genus est: vel enim tanquam elementa considerantur, ex quibus fiant composita, vel iis etiam vis cogitandi attribuitur: hinc totidem diuersae disciplinae nascuntur, scilicet *Monadologia*, quae in naturam substantiarum simplicium inquirat, *Somatologya*, quae de intima corporum natura, et denique *Pneumatologia*, quae de substantiis cogitantibus vniuersim exponit. His adiungimus explicationem *entis finiti*, et *infiniti*. Totum itaque caput hoc in quatuor partes dispecimus.

I.

M o n a d o l o g i a.

§. XL.

Quae de substantiis simplicibus, aut *Monadibus* exponit, disciplina, propterea, quod *moderni* Non profusus inutilis.

D

derni

derni moris esse desit, superuacua, et inutilis haud putari debet. Nam quae hic traduntur, explicanturque philosophumena, etsi ad veritates theologicas, aut morales intelligendas necessaria prorsus non sint, iis tamen locis adferunt plurimum. Deinde ea est humani ingenii natura, vt eorum, quae admiratur, phenomenorum causas, et rationes exquirat; quae quidem sciendi cupido cum omni Philosopho, tum potissimum Metaphysico indigna non est, etiamsi hoc ipso studio nihil consequare, quam vt facto periculo addiscas, limites, quibus humana cognitio coercetur arctissimos esse. Hoc autem ipsum argumentum, in quo versamur, ita tractabimus, vt, quia iuncta inter se maxime sunt, simplicium, et compositorum notiones, alteram per alteram explicemus.

§. XLI.

Quid compositum.

Itaque ab explicatione notionis, quam de composito informamus animo, ordiamur. Compositi nomen, vti reliqua omnia, quorum frequens est vsus, latissime patet: interdum compositum dicimus omne id, in quo varia quocumque modo coniuncta cernuntur. Huic ex aduerso respondet simplex, in quo varium nihil est; interdum illud, quod ex pluribus partibus separabilibus constat: cui contrarium est simplex, quod omnis realis compositionis expers est: Denique huic nomini ea vis attribuitur, vt congregationem substantiarum, quocumquemodo coniunctarum significet; atque tum singulae substantiae simplices vocantur. Antiqui compositum dixerunt, quod partibus constat heterogeneis, simplex, quod partibus constat homogeneis. Res igitur extra se positae, sed

sed eaedem in vnum quasi corpus coniunctae, efficiunt id, de quo hic agimus, compositum, quod alii etiam *extensum* vocant. Qui enim extensum a composito distinguunt, aut falsam, et a phantasia profectam notionem huic vocabulo subiiciunt, aut, quid sibi velint, non satis intelligunt. „WOLFIVS quidem, cui „ quidam tribuunt plurimum, ens compositum „ esse ait, quod ex pluribus a se inuicem dis- „ iunctis partibus constet, partes autem con- „ stituere totum nexu suo, quo plura simul „ sumta efficiunt vnum. Idem extensionem esse „ ait, extra se inuicem existentium coexisten- „ tiam in vno et ad extensionem praeter partes „ requiri, vt inter se vniantur, et sic vnum quid „ efficiant. Ontologiae P. I. §. 331. et 548. “
 Quae quomodo differant, nemo vtique dixerit. Qui autem dicunt, extensum participialiter, et proprie sumtum a composito non differre, sed nominaliter, et metaphorice acceptum, hi ipsi quoque haud se expedient, vbi quid proprie sub illa Metaphora lateat, quid sublato tropo relinquatur, quod quidem a composito differat, dicere volent.

§. XLII.

In omni igitur composito, praeter partes, spectari potest modus, quo illae inter se sunt coniunctae. Ex quo efficitur, vt essentiae compositorum, qua composita sunt, modo compositionis contineatur. Quare qui, quibus composita res sit partibus, et quo modo ac ratione sint iunctae inter se, et copulatae partes, intelligit, hunc essentiam eius comprehendere recte dicemus. Quum porro possint, eaedem et diuersae, similes, et dissimiles esse et partes,

Essentia
 compositi
 et attribu-
 ta.

et iuncturarum modi: essentiae compositorum, vel eadem vel diuersae, similes, vel dissimiles sint necesse est. Iam quae sint rebus compositis natura sua attributa, facile intelligitur. Primo, quia in hoc rerum genere res extra se posita iunguntur, in spatio sunt, seu, vt dicere solent, spatium replent: certa sunt magnitudine, quia omnis magnitudo est in partium multitudine posita: Mensurae porro subiectae: et quia cogitari in vnoquoque composito ambiens linea quaecumque potest, certa etiam illis *figura* tributa sit, oportet: denique quia non repugnat, quasdam auferri ab iis partes, diuidi possunt; atque adeo *figura* etiam mutari.

§. XLIII.

Omnes in composito mutationes fiunt per motum.

Motum recte dicunt esse in mutatione loci positum: Nam ex mutato loco semper, et rectissime motum factum esse colligimus. Esse autem locum rei mutatum, ex mutata ab aliis rebus distantia intelligimus, id quod sensibus cognoscere licet. Duplex autem est motus genus, cui res compositae, et concretae subiectae sunt. Nam vel in ipsius rei partibus fit, vt eae locum mutant, aut in aliam rei partem transiendo, aut a re tota plane recedendo, quem *intestinum* adpellant: vel tota partium coeries in alium transfertur locum, hunc *externum* dicunt. Quoniam in composito praeter partes et iuncturae modum nihil inest, cogitur, nihil ei accidere quicquam, praeter partium aut detractionem, aut additionem, aut transpositionem posse. Quae quum in omnibus illis mutandi compositi generibus, quae aut adiiciuntur, aut auferuntur, aut transponuntur partes, mutant, eum, quem ante tenuerant, locum

cum, adeoque moueantur, nihil in composito accidere, nisi per motum posse, patet, omnesque, quae cadunt in compositum, mutationes, motu contineri. Vnde recte ARISTOTELES Phys. L. 3. C. I. ἀναγκαῖον, ἀγνοομένης κινήσεως ἀγνοοῦσθαι καὶ τὴν φύσιν.

§. XLIV.

Restat, quoniam natura compositorum factis pro instituti ratione declarata est, qua ratione orientur, et intereant, paucis vt dicamus. Oriuntur et fiunt iunctis certo modo inter se partibus: quia posita essentia, non potest non res ipsa fieri: cum autem sublata essentia res ipsa tollatur, interitum intelligitur positum esse in separatione partium. Ex quibus sequitur, quia compositorum origo, et interitus motui debetur, motus autem interuallis temporum aestimatur, certo temporis spatium fieri, et successioni subiectam esse compositorum cum originem, tum interitum. Ceterum per se intelligitur: haec de ortu et interitu naturali capi oportere.

Ortus compositorum et interitus est successiuus.

§. XLV.

Compositum etiam dicitur *continens* seu *continuum*, quando ita inter se cohaerent, et iunctae partes sunt, vt repugnet aliam ipsis inferi: quale continens, an vsquam sit, Mathematici disputant. Si mutuam contactum in mutua actione substantiarum simplicium ponere licet; qui negari possit, composita ita continua esse, non video. Sin vero notiones mathematicas ad res existentes transferas, atque ex iis decernas, immediatus contactus detur, nec ne, non facile, quae inde nascuntur, difficultatibus occurrens.

Continuum.

§. XLVI.

Quid simplex, quae eius proprietates,

Quae omnibus partibus caret res, *simplex* dicitur, cui, quia est composita contraria, omnia ea repugnant, quae ad essentiam huius pertinent, aut ex ea proficiscuntur, ut nec magnitudinem habeat, nec figuram, nec diuidi in partes possit, nec spatium repleat, nec mensuram capiat, nec motui intestino subiecta sit, neque ita, uti compositae, hoc est, certo temporis spatio aut oriatur, aut intereat. Quae ergo ratione, inquiet aliquis, dicemus oriri posse, et interiri, quae simplicia sunt, et a concretionem omni libera, et quae erit res, ex qua originem ducere possint suam? cuius quaestionis si haec vis, et sententia est, ut, quo auctore orientur simplicia, quaeratur, Theologiae naturali propria est: si hic sensus est, quae res sit, ex qua tamquam materia quadam simplicia efficiantur, nullam eam vspiam esse, confitendum est. Finge enim ex rebus concretis fieri simplices posse: aut adiectis, aut demtis, aut transpositis motu partibus fiant, necesse est: sed ita res, non quae nihil concreti, nullam partem habeat, sed composita partibus efficietur. Neque a rebus compositis reiecti felicius in ipsis simplicibus simplicium originem quaeremus: neque ex quibus si aliae sui generis res existerent, non dubium esset, quin ex iis decerpta quadam particula, fierent; quod quomodo fieri possit, et qui ex re, quae nullas partes habet, abradi particula possit, intelligi plane nequit.

§. XLVII.

His constitutis, quid efficiatur, facile intelligitur. Primum illud, ut, si qua res simplex

plex sit, omnibus vacua quibuscumque partibus, ea, quia ex nulla alia re oritur, aut necessario sit, aut auctorem habeat, cuius vi, et potentia sit facta: alterum, vt ejus origo, quia nihil successione habet, nulloque temporis spatio extenditur, momento, et siquid eo angustius esse, et breuius potest, coerceatur. Quae quidem ratio est, quam ob rem non possit a nobis distincta eius notio informari, cui ea tantum subiecta sunt, in quibus, quae discerni possunt cogitatione, insunt: Eadem ratio est, cur non possit nisi voluntate, et vi auctoris accidere, et, quo fiat modo, nequeat intelligi. Et quemadmodum nihil quicquam ante fuit, ex quo eae sint effectae, ita nihil etiam ex iis post interitum relinquitur, quum contra ea composita ita interire possint, vt nihil eorum pereat, ex quibus concreta sunt, neque in nihilum, sed in partes abeant.

§. XLVIII.

Quemadmodum ista simplicium notio ex definiendorum contrariorum lege constituta est; ita sunt, qui pari ratione, sintne res simplices, et e simplicibus compositae, nec ne, intelligi posse existiment. Nimirum sumto hoc, esse res compositas, etiam simplices esse, ex quibus res compositae tamquam partibus constent, cogi putent. Et sane qui in diuisione compositorum omnem finem, et terminum tollunt; aut negant, res compositas a nobis in suas partes simplices dissolui posse; atque tum illis experientia patrocinator: aut contendunt, partes compositorum numero esse infinitas: cui quidem adsertioni duplex sensus tribui potest: vel enim hoc dicitur: partes simplices in

Simplicia
vtrum ex
sistant.

quouis corpore esse numero infinitas: vel negatur, corpora ex partibus simplicibus concreta esse, eoquod diuisio eorum in partes quasque compositas produci in infinitum possit. Qui primum contendunt, non vident, hoc modo omnem inter rem quamque maximam et minimam inaequalitatem tolli; quum enim vtraque partes infinitas pariter contineat, cogitur, vtramque esse infinitam, atque adeo aequalem. Qui alterum sumunt, in hoc se induunt, vt velint accidentia esse sine substantiis, quibus ea insunt: Quod quidem hodie ab omnibus exploditur. Argumentorum, quibus aut infinitam rerum compositarum diuisionem tuentur, aut compositionem corporum ex monadibus, impugnant, lubens praetermitto, cum quod sumtionibus nituntur, quas concedere nihil cogit, tum maxime quod in omnibus fere compendiis explicata leguntur. Iis vero, qui contra monadum existentiam ab auctoritate NEWTONI, KAILII, et EVLERI praesidium petunt, opponimus LEIBNIZIVM, WOLFIVM, et KAESTNERVM, qui non solum summi Mathematici, sed, quod hac in re maximum est, summi Metaphisici sunt.

§. XLIX.

Quomodo
inter se differant.

Substantiae simplices quum partibus omnibus careant, nec quantitate, nec figura, nec vniuersim diuerso compositionis modo differre quicquam possunt. Quum porro in ipso subiecto, cui vis agendi inest, varium nihil concipi possit; sequitur omnem substantiarum simplicium differentiam a diuersitate virium arcescendam esse. Quod autem modis differre inter se vires possint, alio loco dictum est. Facilius
cui-

cuiquam videri possit, distinctam substantiarum simplicium, quam rerum compositarum notionem informare animo. Verum complexus virium in substantiis simplicibus adeo inuolutus esse videtur, vt eius perceptio perinde obscura, ac difficilis existat. Sunt, qui virium, substantiarumque notiones inta instruant, vt cuique substantiae nisi vnam vim inesse negent. Verum hoc etiam sumto, non sequitur, eidem substantiae non nisi vnum impetum principalem, aut vnum internae efficaciae, seu irritabilitatis modum inesse.

§. L.

Verum ex his alia quaestio oritur non minus obscura, an simplices substantiae in se mutuo agere, et interne sese inuicem mutare queant, nec ne. „ Nullo modo explicari potest, „ inquit LEIBNIZIVS, qua ratione Monas „ alterari, aut in suo interiori mutari queat „ per creaturam quamdam aliam: quoniam in „ ea nihil transponere, nec vllum motum internum concipere licet, qui excitari, dirigi, „ augeri, aut imminui possit, quemadmodum „ in compositis contingit, vbi mutatio inter „ partes locum habet. Destituuntur monades „ fenestris, per quas aliquid ingredi, aut egredi „ valeat, neque accidentia ex substantiis egrediuntur, vt olim species sensibiles scholasticorum, neque substantia aut accidens in Monadem forinsecus intrare potest. “ Verum si negemus, res simplices in se mutuo agere, si omnes earum mutationes ex interno principio prouenire velimus: quo fundamento dicemus, mutuam esse corporum actionem, quippe quae non sunt, nisi rerum simplicium, vt ipsi LEIB-

Vtrum in se mutuo possint agere.

NIZIO placet, aggregata, et si vniuersim nullae sunt res, quae in se mutuo agant, tum omnia, quae Philosophi de nexu vniuersi docent, mera commenta sunt, tum quaeque res secum habitat, quaeque in hoc vniuerso exul, nulla alteri iuncta est. Ast ostendi nequit, qua ratione substantia simplex in alteram agat. --- Haec ratio, si quicquam valet, ostendit, nec rerum compositarum mutuam esse actionem, --- At de compositis per experientiam constat, non item de simplicibus. --- Etiam: verum, qua ratione res compositae in se mutuo agunt? per motum. --- Sit ita sane: verum an non ad motum corporis a corpore efficiendum requiritur, vt vis primi, vim alterius determinet; id est, vt vires elementorum se mutuo excitent. Inde cogitur, vel res propria vi ad motum sese incitare, quin alia ab alia sollicitetur, vel res quoque simplices in se mutuo agere. Tametsi igitur experientia influxum rerum mutuuum eatenus tantum nos doceat, quatenus aliud ex alio sequi, aut positis quibusdam virtutis determinationibus mutationem in alia re poni, intelligimus: tametsi qua ratione monas in monadem agat, explicari perspicue non possit, minime tamen inde conficitur, nullum earum esse influxum mutuuum, aut omnes, quae iis accidunt, mutationes ex internis principiis proficisci. Ceterum, quae de harmonia vniuersali LEIBNIZIVS docuit, inueniuntur in libro, qui inscribitur: GODF. GVILIELM. LEIBNIZII *principia Philosophiae ab HANSCHIO edita Francofurti, et Lipsiae 1728. 4to.* Historiam autem totius Monadologiae LEBNIZIANAЕ exhibet WINDHEIM in sua Bibliotheca Philosophica Tom. II. et III.

II.

Somatologia.

§. LI.

Ex iis, quae hactenus de substantiis simplicibus disputauimus, constare arbitror, quae sint earum adfectiones, quae vires, a nobis intelligi haud posse. Haec enim rerum compositarum elementa, haec virium subiecta abstractiora multo sunt, quam quae crassis sentiendi instrumentis attingi, nedum percipi singula a nobis queant. Quae res facit, vt ad corporum considerationem nos conferamus. Quod quidem considerandi argumentum licet metaphysicus cum Mathematicis et Physicis commune habeat, aliam tamen, atque illi viam, ac rationem sequitur. Mathematici in corporibus non spectant, nisi extensionem, Physici eorum phoenomena, quae ex principiis per experientiam stabilitis explicare conantur. Metaphysicus vero hoc sibi propositum habet; vt in prima corporum stamina, primasque vires, vnde phoenomena pendent, inquirat. Neque ea, quam hoc loco suscipimus, speculatio aut temeraria, aut plane superuacua putari debet. Hunc certe fructum inde capiemus, vt facto periculo, quae sciri de corporibus possint, addiscamus. Deinde hoc etiam consequemur, ne nimium tribuamus illis, qui quaedam nimis de corporibus adfirmant, aut ea se scire profitentur, quae nesciant. Ceterum longius in doctrinas physicas hoc loco excurrere, quod quidam faciunt, a scopo Metaphysices alienum puto. Sed iam in rem praesentem veniamus.

§. LII.

Corpus
materia,
forma,

Corporis notio exensione earum rerum nobis aduenit, quas hoc nomine compellamus. Corpus igitur, nisi vera eius notione carere velimus, definire non licet, nisi per ea, quae quibuscunque corporibus nobis quidem cognitae communia sunt. Atqui omnibus corporibus materiam, et formam inesse, constat. At quid est *materia*, quid *forma*? quae vis ac potestas hisce nominibus subiecta sit, vna definitione haud explicaueris, adeo vsus eorum fluctuat. Si quamque rem, quae determinationum capax est, materiam, ipsas vero rei determinationes formam dixeris; illud efficies, vt nec *materia sine forma*, nec *forma sine materia* consistere possit; omnem vero nominum istorum vim ac potestatem non exhauries. Nihil itaque relinquitur, nisi, vt, de quibus rerum generibus haec nomina dicantur; sigillatim videamus. Primo igitur quamque substantiam, qua accidentium subiectum est, materiam, ipsam autem accidentium congeriem formam dicimus. Interdum rem compositam, qua pluribus partibus constat, materiam, partium vero iuncturam formam adpellamus: hoc igitur sensu nec materiale a re composita, nec immateriale a re simplici quicquam differt. Porro in notionibus vniuersalibus ea, quae ad genus pertinent, materiam, singulae vero cuiusque speciei determinationes formam constituunt. In iudiciiis logicis subiectum, et praedicatum materiam, ipse vero vtriusque nexus formam efficit. In actionibus mutatio, quae contingit, seu res effecta, materia, temporis vero ac loci relatio forma dicitur: in actionibus vero liberis

beris et moralibus ipse actus cum suis adiunctis materia, ea vero ratio, quam actus ad perfectionem substantiae intelligentis habet, forma adpellatur. Diversos hosce significatus si expendas, intelliges, eum, quem secundo loco attulimus, huc pertinere. Corpus ergo dicimus rem compositam, quatenus eius partes certo modo inter se sunt coniunctae, seu materiam certa forma praeditam: quod quum fieri nequeat, nisi vi quadam singulae partes cohaereant, patet, cur cuique corpori vim attribuunt. Ab hac corporis definitione nihil differt ea, quam VARRO apud CICERONEM exhibet *Acad. Quaest. Lib. I. Cap. 6.*

§. LIII.

Nunc quae ex constituta hac corporis notatione colligi possint, videamus. Quum itaque corpora sint res compositae, consequens est, eas, quae iis attributae sunt, adfectiones in illa pariter cadere. Quum porro corpora ex elementis simplicibus concreta sint, horum autem natura nos lateat; facile intelligitur, corporum adfectiones primitivas nobis perfectas esse non posse. Id quod aliunde quoque constare potest. Nimirum qualia sint corpora, non intelligimus, nisi ex iis, quas efficiunt, sensationibus. Sed natura sensationum non minus ex structura organorum, quam ipsorum corporum, quae illa impellunt, forma dependet. Itaque sensationes non solum diversitate rerum obiectarum, sed ipsa quoque organorum diversa dispositione variari necesse est. Vnde suspicari licet, si alia nobis sentiendi instrumenta concessa essent, aliter quoque corpora ipsa nobis visum iri. Deinde licet nulla diuisione hoc adsequi pos-

Primitivae
corporum
adfectio-
nes nos la-
tent.

possimus, vt ipsa prima elementa contueamur: illud tamen qualicumque partium distractione comperimus, ipsas corporum qualitates variato compositionis modo variari. Quum igitur varius, ac multiplex componendi modus esse possit; facile intelligitur, quam lubricum sit, et difficile, ex phoenomenis corporum, primitiua elementorum adfectiones eruere.

§. LIV.

Corpora
sunt phae-
nomena
substantia-
ta.

Corpora itaque ipsa inter phaenomena numeranda censeo. Sed cum corpora phaenomena dico, nolim haec ita interpreteris, vt totum mundum corporeum pro meris ideis haberi existimes: paradoxam hanc, quae idealistarum est, opinionem alio loco profligare conatus sum. Scilicet corpora idcirco phaenomena dicimus, quod, vt reliqua omnia, quae sensibus percipiuntur, implicatiores multo praestant perceptiones; quam vt definiri satis queat, quid in iis formandis res obiectae, quid ipsa organa contulerint. Sunt itaque corpora quidem phaenomena, sed *substantiata*. Ex his etiam intelligitur, quam imperite faciant ii, qui, quas corporum adfectiones sensibus cognoscant, ipsis eorum primis elementis adscribunt; tamquam qui ideo contactum corporum negant, quod explicari non possit, qua ratione elementa simplicia sese mutuo contingant.

§. LV.

De corpo-
rum motu.

Quaecumque corporibus accidunt mutationes, motu efficiuntur. At quid in ipsis elementis sit, ex quo cogniti nobis corporum motus pendeant, explicare perspicue haud poterimus, dum intima elementorum, quibus cor-
pora

pora constant, natura nos lateat. Motus itaque corporum pariter phaenomenon est, at ex eo phaenomenorum genere, quod nobis instar realitatis est, quod experientiis nostris veluti fundamentum subiicitur, quod plenam, et insuperabilem certitudinem nobis praestat. Argumenta, quibus veteres motus possibilitatem impugnarunt, si subtilius exigas, a cavillationibus nihil interesse intelliges: eos certe, qui motus existentiam confirmatam sensu sumunt, de interna vero eiusdem natura nihil decernunt, non premunt. Atque ita quidem **DIOGENES** imperite fecisse non videtur, cum *deambulando*, aduersarios motum esse docere voluit. Verum quum ipsam corporum naturam perspectam non habeamus; quaeritur, qua ratione leges motus, v. gr. quod status corporis vel quiescentis vel moti nisi a causa externa non mutatur, explicari, probarique queant. Non ignoro, qua eas ratione quidam Metaphysicorum demonstrant. Neque arduum omnino videtur, si eas corporis ac motus notiones constituas, quibus illud contineatur, quod dein experientia confirmet.

§. LVI.

Quodlibet corpus moueri potest. Verum De vi inere-
tia. siquid corpus quiescens ad motum concitare velimus, id nos exsequi, nisi adhibita vi, non posse sentimus, idque ceteris paribus magis sentimus, si plus materiae inesse corpori conspiciatur. Hinc idem fieri in corporibus, quae non tangimus, recte suspicamur. Deinde corpus in motu constitutum in eodem perseverare, aliisque, in quae impingit, motum communicare experimur. Si quaeras, quibus hac omnia determinationibus, quibus corporum, et materiae

teriae viribus efficiantur: Physici respondent; *inertia, mobilitate, vi inertiae, vi motrici*: atque suo munere defuncti putari debent, quippe qui in phanomenis vniuersalioribus subsistunt et ex iis alia explicant. Si vero quaeras, quid rei sit illa vis inertiae, aut qualis sit vis motrix; sitne vtraque omni materiae necessario attributa, nec ne? quales sint illae determinationes primitivae, ex quibus illae vires pendeant, tum munus respondendi ad Metaphysicos deuoluitur. Neque hic quicquam a se desiderari patiuntur. Scilicet aiunt, materiae inertiam necessario attributam esse: eam enim definiunt; quod sit extensum iners, vi resistendi praeditum. Verum, quis non videt, eos sic sumere, quod est in quaestione. Aliis ex eo, quod quaeuis materiae portio sit impenetrabilis, inertiam deducere conantur. Verum licet his concedamus, corpus impenetrabile aliquid habere, quo penetrationem impediatur, id vero inertiam esse, nondum inde efficitur. Nihil itaque superest, nisi, ut haec quoque in re experientiam consulamus. At, docetne experientia hanc inertiam, hanc contra motum resistantiam, tamquam internam materiae proprietatem, an non mobilitas perinde ac inertia essentialis esse potest? An non in diuersis materiae generibus ipsa quoque diuersa, et diuersimode determinata est? Ex his colligitur, inertiam quoque phoenomenon esse, quod quale sit, distincte explicari nequit. C. F. KAESTNERI Dissert. De inertia corporum. Altenburgi 1771.

§. LVII.

Quum in materia nullus conspiciatur motus, qui non a causis externis, siue directionem, siue velocitatem spectes, dependeat: quum praeterea nullus motus sine fixa atque determinata celeritate, & directione concipi, mente possit, nulla adest ratio, cur materiam admittamus, cui motus sit essentialis. Verum aliter res se habet, si quaeras, vtrum vis illa, quam mobilitas necessario supponit, materiae sit essentialis. Si eam, quam supra notauimus, materiae notionem sumamus; dubium non videtur, quin praeter vim inertiae, quae materiae natura sua attributa est, alia adhuc vis ad motum continuandum necessaria in corpore constituenda sit. Quia verosimile non videtur, eadem vi motum et extingui, et excitari posse. Haec igitur vis, etsi materiae essentialis non sit, extra eam tamen, si existit, esse non potest.

De vi motrice.

§. LVIII.

Sed quae demum est illa primitiua elementorum partiumque corporearum interna temperatio, qua efficitur, vt corpora in motum concitari, in eadem perseverare aliaque propellere, possint? estne nuda facultas motum extrinsecus recipiendi? aut vis quiescens, quae alieno impulsu suscitetur? aut vis efficax, quae sublatis impedimentis illico in actum transferatur? aut estne omnino necesse vna omnes rerum corporearum motus vi peragi, an non possunt non esse plures diuersaeque corporum vires? in quam diuersas Philosophi hac de re opiniones abeant, vix dici potest. Neutroniani plurima corporum phaenomena per vires attractiuas explicant, quin tamen alias vires veluti

E

elasti-

elásticas, excludant. Boscovichiani omnia sola vi attractiua et repulsiua, aut potius vi motrici volunt peragi; AD. ALB. HÄMBERGERVS omnes corporum motus, per aetherem a Deo agitatum effici vult. SIDONIVS, nescio quis, omnia huius mundi phaenomena docet esse, nisi magis et minus seu graduationes vis repraesentatiuae sui, ROBINETVS denique omnia viuere statuit, licet quam singula elementa vitam habent, non percipiamus. Plenior horum systematum cognitio ex ipsorum auctorum libris haurienda est. Huc referri potest Cl. AND. ADAMI SENFFT de viribus animalibus Programma Wir. 1771.

III.

Pneumatologia.

§. LIX.

Quamuis ex sensione interna vna dumtaxat substantia cogitans cuique proxime innotescat; in communi tamen vita vniuersalem spiritus notionem vsurpari videmus. Vtrique nomini, si largius accipiatur, eadem vis, ac potestas subiecta est, vtrumque enim notat eiusmodi naturam, quae percipit, sui que conscientiam habet. Haec autem vniuersalis notio naturali ea conclusione nititur, qua aliis substantiis, quod similes nostris actiones prodant, similes inesse vires colligimus. Susplicamur itaque in aliis talem inesse substantiam, qualem quisque ex sensu interno in se esse experitur. Huc accedunt effectus, qui, quum certos fines, et vsus spectent, nisi a causis intelligentibus, et inuisibilibus proficisci non possunt. Neque notio substantiae cogitantis adeo indiuidua, ac defi-

definita est, vt alias in cognitis earum generibus determinationes abstrahere, alias superaddere, absonum esse videatur. Atque hoc modo ea, quam saepe dico, notio substantiae cogitantis transcendentalis efficitur. Illud tamen animaduertendum est, nihil nobis de substantiis cogitantibus, earumque proprietatibus competentum fore, nisi eius naturam suam quemque sensus internus, et, quae inde ducitur, meditatio doceret. Ex hoc igitur fonte omnis cognitio, et consideratio Pneumatologica deriuanda est. Qua quidem in consideratione hoc nobis proposuimus, vt notiones vulgares accuratius definiamus, et, quae hac de re quaestiones circumferuntur, distinctius explicemus. Quod si praestiterimus, arbitror, fore neminem, qui conamina nostra reprehendat.

§. LX.

Quid sit substantia, quantum satis est, capite superiori declaratum fuit: quid vero sit cogitatio, ex sensu interno facilius intelligi, quam explicari verbis potest. Imo si dicendum, quod res est, hoc modo dumtaxat intelligimus, *quid in nobis sit cogitatio*; scilicet hac notione continetur facultas percipiendi, aut perceptiones cum conscientia formandi. Isthac notio ex earum genere est, quae gradus suscipit, quatenus vero intendi, et remitti possit, defini a nobis nequit. Quae est ratio, cur quibus cogitantes, et non cogitantes substantiae terminis, et finibus separentur, ignoremus. Substantiae autem cuiuscumque, quae sui, mutationumque suarum sensum habet, perinde esse nequit, quid illi accidat: omnia certe, quae in rerum natura eueniunt, non ita com-

Quid substantia cogitans.

parata esse videntur, vt cum eius determinationibus ac natura omnino consentiant. Ex quo efficitur, cuique substantiae cogitandi necessario attributam esse voluntatem. Haec autem in eo posita est, vt eorum, a quibus adficitur, alia adpetere, aduersari alia, vel alia tamquam bona adprobare, retinere, et intendere, alia tamquam mala repellere, fugere, et declinare possit.

§. LXI.

De substantiae cogitantis simplicitate.

Nunc quid ex constituta cogitantis substantiae notione colligi possit, videamus. Primum quod hinc sequitur, est: substantiam cogitantem esse quoque simplicem, et ab omni partium concretionem vacuam. Quemadmodum enim conscientia sui nisi tamquam simplex, et indiuidua concipi non potest: ita illud quoque subiectum, in quo inest, simplicis naturae esse cogitur. Sed, vt vis huius argumenti luculentius pateat, illud in consuetas syllogismorum formulas coniciamus. Itaque totum argumentum sic instruo: quodcumque praedicatum sua natura est simplicissimum, illud vni simplici tantum inesse potest: atqui conscientia est praedicatum simplicissimum; idem igitur nisi in vno simplici inesse non potest. Propositionem ita probo. Quodcumque sua natura est simplicissimum, illud vbique est simplicissimum; quodcumque vbique est simplicissimum, illud etiam in subiecto, cui inest, simplicissimum est; quodcumque in subiecto suo simplicissimum est, illud non nisi subiecto simplici inesse potest; quoniam subiectum eatenus aliquid dicitur, quatenus ei praedicatum aliquod inest, simplex ergo sit subiectum, cui inesse debeat praedicatum,

tum, extensionem respuens, omnino est necessarium: licet, quo minus eiusmodi subiectum cum ente composito sit coniunctum, haec ratio non obstat. Sumtionis veritas ex his elucet: quidquid in plura extra se existentia diuidi nequit, illud est simplex absolute tale, siue simplicissimum: atqui conscientia perceptionis non potest diuidi in plura extra se existentia; ergo simplex sit necesse est. Propositio est ipsa aduersariis probata simplicis definitio; sumtio ex natura conscientiae adparet: haec enim licet exploribus, actionibus antecedentibus oriri possit, ipsa tamen nonnisi simplicissima existere, nec, nisi omnino fallar, cogitari quidem potest. Est enim, qua similitudine Cel. PLOVQVET rem illustrat, conscientia centrum, ad quod perceptiones diriguntur; quale centrum, si corporeum foret, aliud in eo adhuc centrum et simplex denique requireretur, vbi conscientia nascatur; siue conscientiam, quae profecto melius intelligi, quam describi potest cum eodem PLOVQVETIO ipsissimam sui manifestationem, siue intuitum plurium simul perceptionum nomines. Nec enim si cum PLOVQVETIO loquaris egoitatem resolvere potes in fractiones egoitatum, nec intuitus ille extensi quidpiam aut diuisi admitti, sensum quippe omnium intime collectorum vnum significans. Hoc quidem argumento, quod ex Metaphysicis notionibus ductum est, satis ostensum arbitror, substantiam cogitantem non esse nisi simplicem. Quod ad animam humanam pertinet, alio loco dicetur.

§. LXII.

Cogitare, et velle tam necessario sibi vinculo deuincta videntur, vt voluntas cuique ^{De voluntate.}

substantiae cogitandi necessario sit attributa. Quemadmodum vero vis cogitandi sine voluntate, consistere non potest; ita voluntas sine perceptionibus nulla est. Vis itaque cogitandi cum voluntate intime coniuncta est. Sed illud quaerunt Metaphysici, num vtraque vna eademque vi primitiua contineatur. Sunt qui ex vi cogitandi voluntatem satis intelligi, neque alia vi mentis opus esse, contendunt. Voluntatem enim in conatu, et nisu, perceptiones retinendi, augendi, eas que in sensiones transmutandi, debilitandi, ac penitus extinguerendi sitam esse volunt: immo sunt, qui omnem voluntatem a sensu nihil differre existiment. Alii contra contendunt fieri non posse, vt vna eademque vis et cogitationibus, et adpetitionibus subiecta sit. Id quod ex vera notione vis primitiuae perspicuum esse arbitrantur. Verum ego quidem, qui plenam, et distinctam virium primitiuarum notionem informatam animo non habeo, qui potius sequar, non inuenio. Interim nimis contorte, et systematice agere videntur, qui omnia, quae in anima nostra contingunt, ex sola vi cogitandi deriuant, eamque omnium, aut actionum, aut mutationum fontem, ac principium statuunt. Neque quaestio illa, num plures facultates ex virtute primitiua oriantur, ex eo conficitur, quod omnes earum notiones ad vnā aliquam communem reduci queant: Quemadmodum nec ex eo, quod idem fieri non possit, contrarium efficitur. Hac in quaestione plurimum quoque refert, quid nomine virtutis significari velimus. Verum enim principium agendi in spiritu atque adeo vna dumtaxat vis admitti potest, quae tamen diuersis modis sese exerat. Adeo difficilis est

est opinionum consensus; vbi tanta est sermo-
nis discrepantia.

§. LXIII.

Non solum in Psychologia, verum etiam in Pneumatologia frequens de variis voluntatis motibus, de propensionibus et instinctibus sermo incidit. Itaque periculum faciendum est, quid de his in vniuersum praecipi, et quousque abstracta ex animae nostrae actionibus *Thelematologia* perducatur queat. Suis quemque sensus internus docet, voluntatem nostram non vno modo sese exerere: Nunc motibus obscuris, cum fertur in obiectum non satis determinatum, nunc adpetitionibus claris, cum obiecta clare percepta confectatur; interdum agitur adfectibus, cum motus animi vehementioris corporis motus coniunctos habent, qui plerumque ex viuidis, ac confusis perceptionibus existunt. Quum hi diuersi animi motus potissimum ex natura perceptionum dependeant; colligere licet, similes inesse iis substantiis cogitantibus, quibus similis percipiendi diuersitas competit. Verum isti voluntatis motus, qui ex hisce perceptionibus existunt, habitatis quasdam supponunt, in quibus ratio contineatur, cur ex aliis perceptionibus adpetitus, ex aliis aduersatio, ex his placitum, ex illis taedium oriatur. Quaeuis interna ad certum quendam volendi modum determinatio, *propensio*; quae si ita inualuit, vt in adfectus facile euadat, *passio*; quae denique cum in propensione, tum in passione certo modo sese exserit vis, *impetus*, vel *instinctus* dicitur; quamquam non desint, qui instinctus nomen aliter accipiant, sed de hoc alio loco. Duo porro propensionum genera statuunt: vnum

De propensionibus, instinctibus.

earum, quae ex perceptione obiecti proprii maxime existunt; alterum earum, quae ea, quam obiectum perceptum ad obiectum propensionis habet, ratione, ac habitudine continentur; has *deriuatiuas*, illas *primitiuas* adpellant. Vnde fieri potest, vt, quae admodum naturae, quibus eadem inditae sunt propensiones primitiuae pro diuersitate perceptionum, harumque diuersa ratione cupiditatibus differre possunt, ita ex iisdem perceptionibus ob diuersos impetus primitiuos diuersae nascantur propensiones. At, quis est impetus ille principalis, omnibusque omnino substantiis cogitantibus communis? Diuinando, non adfirmando ita concludere licet: si sumamus, nullam vim ac virtutem in se ipsam eiusque, cui inest, subiecti perniciem conuersam esse; si porro ea, quae cum substantiae cogitantis natura pugnant, eidem molesta, ea vero, quae illius naturae sunt consentanea, grata, ac iucunda putari debeant; dubitandum non videtur, quin sui ipsius amor cuique naturae cogitandi proprius sit, atque communis. Vnde recte CICERO: „omnis natura est conseruatrici sui.“ De Fin. L. IV. C. 8, quo loco idem Philosophus orator plura alia in hanc sententiam disputat.

§. LXIV.

De facultate felicitatis.

Substantiae cogitantes quum earum, quae illis accidunt, mutationum statusque sui conscientiam habeant, nullam harum adfectionum indifferenter ferre possunt. Illis itaque felicitatis, aut infelicitatis facultas recte tribuitur. Quia vero felicitas proxima perfectionis propriae intuitionem potissimum continetur; patet, in easdem substantias cogitantes perfectionem inter-

internam, et absolutam cadere; quod secus est in iis naturis, a quibus proprii status sensus abest. Ex iisdem notionibus intelligitur, cur, ubi nullae sunt naturae intelligentes, finis ultimus locum non habeat. Ob eandem denique rationem solis substantiis cogitantibus facultas vitae tribui potest, si vitam dicas statum, cuius natura vivens sensum habet.

§. LXV.

Sustantiis cogitantibus, vel si maus, intelligentibus an libertas attributa sit, quae-
De liber-
tate.
 est perobscura, quae antiquorum non minus, quam recentiorum Philosophorum ingenia hactenus torfit, vexavitque. Libertatem autem cum dico, neque politicam, neque moralem intelligo. Neque laborandum nobis est de ea libertate, quam dicunt potentiam agendi, quae volumus, et abstinendi, ubi nolumus, utcumque demum mens ad volendum, aut nolendum impulsa fuerit. Sed illud quaeritur, an naturae rationali et intelligenti libera agendi facultas concessa sit, quae neque legibus a natura inditis, neque a causis extrinsecus accidentibus ita determinetur, ut non plures agendi modos in sua habeat potestate; aut, an natura intelligens vim habeat in suis operationibus se determinandi? quae-
 stio sic proposita ita utramque partem olim inter Stoicos, et peripateticos agitata fuit, et hodie dum inter viros doctissimos magna contentione agitur. Qui libertatem hanc, quam Metaphysicam vocare licet, naturis intelligentibus denegant, variis id argumentis conficere nituntur. Ac primo quidem vrgent illud stoicorum, *μὴ δὲν ἀναστῶς* oriri. Si autem quicquam nunc efficeretur a causa aliqua, quae in-

differens esset ad utramque partem, neque ad alterutrum vel per suam indolem, et naturam, vel per adiuncta, quibuscum comitata ponitur, inflecteretur, huic mentis conuersioni aut proposito nulla esset causa. Deinde sumpta huius generis libertate, omnipotentiae diuinae limites poni, ipsamque huius vniuersi gubernationem penitus euertere contendunt. His addunt, positus iisdem causis, et adiunctis eisdem effectus consequi; ex quo cogi putant, omnia, quae sunt, fati necessitate fieri. Denique negant cum libertate causarum rationalium diuinam prouidentiam consistere posse; eo quod causis efficientibus quamcumque rem cognoscunt taxat fieri non possit, quid futurum sit. Peripatetici aliique viri docti, quibus haec duriora, et cum actionum honestate pugnantia videntur contra adlatas rationes ita reuerunt: Primo negant illud effectum stoicorum huc pertinere: etsi enim concedatur, nullum motum sine causa antecedente fieri, inde tamen non sequitur, ipsas etiam actiones naturam intelligentiam solis causis externis absolui: Ea enim causarum rationalium natura est, ut se ad hanc, aut illam partem flectere valeant: Ipsae nimirum sibi sunt sui flectendi, aut conuertendi causae. Si Deus potentiam suam libere uoluerit circumscribere limitibus, inde potentiae illius iniuria non inferitur. Quum porro libertatis notio vim momentorum non tollat; moralis diuinae prouidentiae gubernatio optime consistit. Illud vero, quod addunt, positus iisdem causis, eisdem sequi effectus, concedimus, si inter has causas liberam quoque mentis deliberationem, ac determinationem referant. Quod denique ex praescientia petunt argumentum,

tum, quum ignorantia nostra nitatur, qua nimirum ratione Deus actiones liberas praeuideat; eos non premit, quos non pudet hac in re suam profiteri ignorantiam. Haec de naturis intelligentibus vniuersim. Quod attinet ad animas nostras, eas liberas esse suus quemque sensus docet, qui cuique prior esse debet omni rationum subtilitate; sed hac de re alio loco agemus. Ad intelligendam hanc stoicorum, ac peripateticorum controuersiam plurimum conferre possunt, quae CICERO de fato nobis reliquit.

§. LXVI.

Explicata haec tenus substantiarum cogitantium notione a scopo nostro haud alienum puto, inquirere, quae earum differentiae, ac dissimilitudines cogitari possint: quae quidem indagatio eo valebit, primum vt notiones nostras de possibilibus vltra experientiarum ambitum proferamus, deinde, vt facilius eorum adserta diiudicemus, qui nimis praesidenter de rebus inuisibilibus pronuntiant. Hoc itaque non sine maxima probabilitate suspicamur, plura alia uiuentium animantiumque genera in hoc vniuerso existere, quam quae nobis ex sensibus proxime innotescunt. In his autem, quam multae differentiae cogitari possint, inde aestimare licet, quod vel in solo hominum genere innumeras fere dissimilitudines discernamus. Deinde, si analogiam sequamur, vix dici potest, quam aliae multae varietates concipi mente queant. Intellectum quidem quod attinet, varii, ac multiplices perfectionis gradus locum habent, siue cognitionum ambitum, eorumque obiectorum genera, siue ipsarum perceptionum claritatem, ac plenitudinem siue idearum sibi succedentium

De substantiarum cogitantium differentii.

velo-

velocitatem, ac ordinem spectes: et quod per-
 fectionis gradus in memoria discerni possunt,
 si ex altera parte reminiscenciam idearum recur-
 rentium tollas, ex altera certam ab omni obli-
 uione securitatem ponas? quot denique discrimi-
 na virium intelligentium ex sermonis facultate,
 et indole dependent? quae ex voluntate existi-
 cere possunt discrimina, non minus magna ac
 multiplicia sunt: alia quidem duci possunt ex
 maiore, vel minore sensibilitate vniuersim
 spectata, alia ex natura rerum obiectarum, aut
 earum, quae de his fiunt, perceptionum di-
 uersitate, alia denique ex maiore, vel minore
 propensionum firmitate, ac stabilitate. His adde
 maiorem, minorem energiam, quae in succes-
 sione idearum iucundarum obtinet, et denique
 maiorem vel minorem voluntatis independen-
 tiam a causis externis. Quod diuersa felicitatis
 genera inducere discrimen possint, facile in-
 telligitur.

§. LXVII.

Magna praeterea, ac multiplex substantiarum
 cogitantium varietas oritur ex diuersitate cor-
 porum, quibus iunctae sunt. Nam graui po-
 test, vtrum omnia earum corpora corruptioni
 sint subiecta; an perinde inertia, ac grauia sint,
 atque haec corpora terrestria, an ex tam crassa
 materia concreta, vt nisi per ampla spatia in-
 termedia propelli non possint. Verum, estne
 omnino necessarium, vt omnes substantiae cogi-
 tantes, aut intelligentes in corpora conclu-
 dantur? an non per sese cohaerere cum reli-
 quo mundo possunt? an non sine omni sche-
 mate possunt res alias percipere, suamque in
 eas vim exferere?

§. LXVIII.

Quum substantiae cogitantes ab omni partium concretionem vacuae sint; sequitur eas, ut reliquas substantias simplices, nisi per creationem existere non posse. Verum si hac solum ratione oriuntur; quaeritur, utrum omnes tum primum creentur, cum animal oritur, an praextiterint. Et si praextiterunt, ubi morabantur, quis earum ante fuerat status, quam ad hoc viuendi genus peruenirent? ob eandem rationem naturae cogitantes non nisi annihilando interire possunt. Verum, estne necesse, eas interire penitus? an non perseverare, ac permanere quidem possunt; at sua cogitandi vi spoliatae? an non haec vis ex rebus externis ita apta est, ut, hoc nexu sublato, eam quoque tolli necesse sit? Potestne fieri, ut substantiae cogitantes paullatim, ac gradatim ad maiorem perfectionem eluctentur? Et qua ratione? fortassis cum ex corpore rudiore in corpus subtilius fabricatum migrant? in corpora rudioribus ante inuoluta, an in recentia? nos quidem satis habemus hasce quaestiones indicasse, quarum explanationem iis relinquimus, quibus volupe est, otium suum curiosis magis quam vtilibus speculationibus consumere.

IV.

De Ente infinito.

§. LXIX.

Abstractione, et compositione eiusmodi a nobis notiones effingi posse, quarum archetypa inter res sensibus subiectas non occurrunt, inter omnes constat. Huius generis est notio infinitatis, quam adquirimus non solum ex eo, quod

quod in certis rebus, numero nempe, magnitudine, et tempore mens semper progredi possit, videatque in addendis nouis partibus mentis progressum impediri non posse: Quae infinitas quibusdam *potentialis* dicitur: Verum quoque quod in spatio contemplando, quale sibi phantasia effingit, cernat mens, nullibi fines intelligi posse, ultra quos porrigatur, quodque certissimum sit aliquid semper fuisse sine initio, et durationem praeteritam fuisse infinitam, Hanc infinitatis notionem ad res longe alias transferimus, ad potentiam nempe, ad sapientiam, ad bonitatem, et denique ad eam, ipsam, cui haec proprietates tributae sunt, substantiam. Sed haec qualis sit, iam pluribus videamus.

§. LXX.

Notio infiniti.

Quum itaque omnis de substantia infinita disputatio futura sit; ante omnia de vera infinitatis notione explicanda sollicitos nos esse oportet. Aliud omnino infinitum Mathematicum est ab eo, quod metaphysici sic vocant, cum de Deo loquuntur. Nempe Mathematici infinite magnam vocant quantitatem, cuius incremento limes nullus statui potest, et quae maiori omni dabili concipitur: quod idem est, ac si dicas, ipsam non dari, alias enim tum omnia, quae datur, maior est, se ipsa maior esset. Igitur infinite magnum non quantitatis nomen est, sed possibilitatis sine fine, et ultra omnes limites crescendi. Contra infinite parum non quantitas est, sed ea quantitatis adfectio, qua sine limite decrescere, omnique proposita minor fieri potest. Metaphysici infinitum dicunt, quod ab omnibus finibus, atque limitibus liberum est. Ex qua notione efficitur, nullam in ente infinite

nito

nito crescendi accessionem, nullam multiplicandi rationem, nullum denique mensurae modum esse posse. Similiter infinitum infinito, qua ratione est infinitum, magis esse non potest. Quo autem sensu, Mathematico, an Methaphysico, nomen infiniti accipiatur, colligere licet ex ea, de qua dicitur, rei natura: tamquam si nomen infiniti de infinita vnitatum vere existentium aut disiunctarum partium multitudine dicitur, notio Metaphysica locum habere nequit. Deduci enim inde possunt, quae perspicue falsa sunt, sibiue vehementer repugnantia. Si enim vna parte demta residuum diceretur infinitum; sequeretur, infinitum infinito maius esse posse: sin vero residuum infinitum esse neges; consequetur, duas partes finitas constituere totum infinitum. Idem absurdum in extenso infinito consequi facile ostenderis, si perpendas, numerum non solum simplicium verum etiam partium compositarum infinitum esse oportere. In quantitate ergo extensa numerus partium vere existentium repugnant. Si vero infinitas tribuitur rei, quae iam tota non existit, aut quae, vt vocant, est in fieri; haec ei vis et sententia subiecta est, vt haec res semper continuanda, numquam finienda dicatur. Eiusmodi igitur res, qua existit, infinita est, et qua infinita est, numquam existet.

§. LXXI.

Infiniti nomen, si cum substantiae notione coniungitur, vires, realitates, ac perfectiones notat. Est igitur substantia infinita, cui omnes perceptiones, quae consistere simul possunt, natura sint attributae, quam etiam perfectissimam vocare licet. Finitae contra substantiae in-

De sub-
stantia in-
finita.

stan-

stantiae illae dicuntur, quarum vires, et perfectiones quibuscumque limitibus circumscriptae sunt. Ex hisce notionibus, quid colligi possit, facile intelligitur. Nimirum quod primum sequitur, est, perfectiones eas, quae per sese limites arguunt, substantiae perfectissimae repugnare; eas contra omnes, quas puras vocant, illi necessario esse attributas. Neque perfectiones rerum finitarum, quae perfectiones sunt, ab ea remouendae sunt. Quia porro omnes verae, et purae perfectiones eidem substantiae perfectissimae conueniunt: colligitur, eandem in nulla omnino perfectione deficere. Quo efficitur, substantiam perfectissimam sibi semper aequalem esse, nulla umquam realitate augeri; sed, quod ad eius vires, et perfectiones attinet, extrinsecus, et intrinsecus, esse immutabilem: quae omnia secus se habent in substantiis finitis, quippe quae augeri, minuique possunt, ac proinde mutationibus internis subiectae sunt. Si denique existentiam in numero perfectionum habere liceat, substantia perfectissima nisi existens cogitari non potest. Ergo existit? Ita sunt, qui colligant: Verum ego quidem vim conclusionis non perspicio: sane CARTESII, MENDELSONII aliorumque argumenta id non persuadent. Interim illud sequitur, substantiam perfectissimam, si existat, neque existendi initium, neque finem habere posse. Protinus igitur atque ostenderis, eam existere, eiusdem aeternitatem euiceris. Producta esse nequit; est igitur a se, et independens.

§. LXXII.

De substantia necessaria.

Antequam vero notionem substantiae perfectissime vltius explicemus; aliam illi finitam,

... nimirum
... expone
... cessarium,
... con
... repouat
... genera sunt
... theticum: it
... vel hypot
... absoluta ex
... non est,
... necess. in
... independe
... intiam, cu
... necessariam
... repeti nequi
... esse. Sed
... semper fuer
... Quia porro
... imode deter
... independe
... intelligit
... esse: qua
... ut, aliunde
... me immutat
... in potest?
... ntiae necess
... tate, et
... Que de n
... perfectissim
... quamus, a
... finem est
... que recip
... cessariae al
... possit. S

mam, nimirum notionem substantiae *necessariae* iuuerit exponere; dicunt autem substantiam necessariam, cui *non existentia* repugnat: Fortuitam contra vocant illam, cui *non existentia* non repugnat. Sed quemadmodum necessitatis duo genera sunt, vnum absolutum, alterum hypotheticum: ita quoque substantiae vel absolute vel hypothetice necessariae esse possunt. De absoluta existendi necessitate hic sermonem esse, non est, quod moneam. Substantia igitur necessaria, si existentiam spectes, quum a se, et independens sit: sequitur, eam quoque substantiam, cuius existentia ab alia non pendet, necessariam esse, nam ratio, cur existat, aliunde repeti nequit: Vnde repugnat, eam productam esse. Sed quod productum non est, idem, aut semper fuerit, aut numquam sit, necesse est. Quia porro quaeuis substantia, cum existit, omnimode determinata est, necessaria vero substantia independentem ab aliis existere potest: facile intelligitur, eam per se omnino determinatam esse: quae ergo eidem determinationes insunt, aliunde repeti nequeunt. Ergo est interne immutabilis? ergo, nec extrinsecus variari potest? minime sane: notioni enim substantiae necessariae non repugnat, quominus et interne, et extrinsecus mutetur.

§. LXXIII.

Quae de notionibus substantiae necessariae, et perfectissimae disputauimus; si in summam colligamus, adparebit, vtriusque notionis similitudinem esse maximam. Verum possuntne quoque reciprocari, adeo, vt notio substantiae necessariae alteri notioni perfectissimae substitui possit. Sunt, quibus ita placet. Quod si-

Num, quod necessarium. simul et infinitum est.

nitum est, arguit BOEHMIVS, idem est mutabile: ergo quod est immutabile infinitum sit necesse est. Verum Metaphysicus iste alioquin acutissimus duo sumit, quorum neutrum satis probatur. Primo, quod necessario existat idem quoque a determinationum vicissitudine liberum esse: deinde quod sit finitum, idem esse mutationum successioni subiectum. --- CRVSIVS ita concludit: notioni finiti non existentia non repugnat. Itaque, quod est finitum, idem quoque sit fortuitum necesse est, ergo, quod necessario existit, idem non est finitum, ac proinde infinitum. --- Verum si CRVSIVS vestigiis insistere licet, ostendam, naturam intelligentem esse simul infinitam, nam finito non repugnat vacuitas a vi intelligendi. Interim illud certum videtur, siqua substantia nisi necessaria cogitari non possit, nihil esse, cur eandem limitatam et imperfectam dicamus. Deinde hoc soli substantiae perfectissimae proprium est, vt ex illius notione existendi necessitas consequatur. Quare cum existendi necessitate summam quoque perfectionem coniunctam, copulatamque esse recte sumimus, donec contrarium certioribus argumentis ostendatur.

§. LXXIV.

Quaenam
substantiae
infinite
perfectio-
nes?

Sed quae demum sunt perfectiones illae, quae in substantiam infinitam conueniunt? aut possumus omnino, nos homunciones entis infiniti perfectiones in notiones compingere, easque explicare verbis? Quas quidem proxime cognitatas perspectasque res habemus, non sunt nisi finitae, atque limitatae: verum, an non his ipsis perfectiones adiunctae sunt quam plurimae? aut fieri nequit, vt vires a limitibus, a malis bona, cogitatione saltem, ac mente separe-

paremus? sit sane, nos illius, quam infinitam, diximus, substantiae dumtaxat mancam, obscuram ac confusam notionem animo informatam habeamus; fac plenam eius naturam a nobis non comprehendi: num propterea nulla omnino eiusdem notio concessa nobis erit? aut quis dicet, perceptionem quamque mancam illico vitiosam, ac peruersam esse? et quamuis is non sim, qui omnia Metaphysicorum placita probanda censeam; HOBBEIVS tamen, ROBINETIVS, aliique inconsiderate, imperite et maligne facere videntur, cum omnem entis infiniti notionem ereptum eunt. Sed mittamus illos tamquam desperatos; et ad eam, quam coepimus notionem explicandam redeamus.

Perfectiones spirituales non solum omnium aliarum, quas quidem nouimus, summae sunt, verum etiam ab omnibus limitibus liberari mente possunt. Deinde sine conscientia vera, ac interna perfectione cogitari quidem potest. Quum igitur spiritus nomen cuique substantiae cogitanti sit commune, nihil obstat, quominus substantia infinita spiritus perfectissimus dicatur. Spiritus autem perfectissimus non potest non vna eaque perpetua ac distinctissima perceptione futura, aequae ac praeterita praesentiaeque, habitudines rerum cum actuales, tum possibiles comprehendere. Hanc intelligentiam omnium rerum finitarum cumulatissimam tenuitas nostra metiri haud potest. Quare nec de illius ratione ac modo curiosius inuestigandum est. Inepta sane, et absurda prouenient, si ad haec mysteria exploranda eniti audeamus, quod cognitum est in iis quaestionibus, quae de praescientia actionum liberarum inter scholasticos agitatae fuerunt.

Voluntas.

Perfectissimo spiritui voluntas pariter perfectissima necessario attributa est. Voluntatis quidem nostrae imperfectiones, quum ex imperfecta cognitione, mentis imbecillitate, ac indigentia promanent, nefas est, in substantiam perfectissimam transferre. Infinitus spiritus nihil velle potest, quod aut cum eius perfectionibus pugnet, aut imperfectionem quamcumque arguat. Non potest igitur nisi perfecta, nisi bona velle. Sed si permissione mali minoris impediri maius potest, aut si magnum bonum ab imperfectione seiungi non potest; tum sane nihil obstat, quominus eiusmodi mali permissio locum habeat. Quum porro substantia perfectissima omnium rerum quasi imagines vno adpectu intueatur, ac proinde nulla cognitionis successio, aut varietas esse possit; quum praeterea nihil, quod perfectissimae voluntati consentaneum sit, intelligentiam infinitam fugiat; sequitur, nec voluntatem mutationum successioni subiectam esse. Ex his quoque efficitur, spiritum perfectissimum esse quoque beatissimum. Sed quibus verbis hanc beatitudinem definies? per aeternam infinitarum perfectionum conscientiam? per ininterruptum sui ipsius sensum suavissimum? Verba deficiunt, at illud persuasissimum habemus, maiorem longe ac puriorem esse hanc felicitatem, quam quae tenuitate ingenii nostri comprehendi valeat. Epicuræi, perinde, ac Stoici ineptiunt: illi quidem, quod entis perfectissimi beatitudinem in otio, hi vero, quod in laborum sollicitudine collocent. Id quod exemplo est, quam lubricum sit ex notionibus analogicis diuinas perfectiones eruere.

§. LXXVI.

Eidem denique substantiae perfectissimae libertas attributa est. Quum enim omnino independens sit, et voluntatem, ac intellectum habeat perfectissimum; consequens est, eam non solum ab omni coactione externa, verum etiam ab omni impetu, turbulentoque adfectu esse liberrimam. Ergo poterit velle malum? id minime quidem. Notio enim libertatis ad libertatem entis perfectissimi qui transferre volunt, imperite, et inconsiderate agunt. --- At qui diuinae voluntatis libertas cum eiusdem immutabilitate consistit? --- Id quidem perspicue explicari non posse, libenter fateor; si tamen cogitaueris, Deum cuncta, quae fecit, vna aeterna eaque immutabili voluntate sic decreuisse, vt de iis nihil deinceps demutare valeat, tametsi, vt decernerentur, in eius potestate vertebatur; hoc mysterium vtcumque intelliges. --- Frustra ergo vota suscipimus, frustra Deum supplicationibus fatigamus: si enim ea, quae petimus, nobis elargiri decreuerit, conferet etiam non deprecantibus: sin autem negare constituit, ne orantibus quidem largietur. Minime id quidem: tametsi enim ex omni aeternitate firmissime constituerit, quaedam impertiri nobis, quaedam recusare: id tamen facit, hac adiecta conditione, si preces fuderimus, aut si has neglexerimus: non ergo incassum nuncupantur vota. Verum haec ad interiorem magisque reconditam Theologiam pertinent.

§. LXXVII.

Facultatem agendi ad extra et quicquam procreandi potentiam, quominus ceu puram perfectionem concipiamus, nihil obstat. Ab

Omnipotencia.

ente igitur summe perfecto abesse nequit: In quo, quum nihil certis definitis terminis insit, recte dicitur omnipotentia, quae omnia possibilis, citra omnem difficultatem, viriumque nisum ac contentionem efficere valet. Atque ex hoc intelligitur, potentiae entis infiniti nullos ponere limites qui ei *advvata* subtrahant, ac repugnantia, neque esse imperfectae naturae divinae argumenta, quae PLINIVS putavit Hist. Nat. L. VII. Cap. 7. At estne necesse, ens summe perfectum semper quoque ad extra agat? Stoici id quidem opinati sunt; sed quam adferunt rationem, sophismate continetur. Creari quicquam dicitur, siquid incipit existere, cuius nihil ante extitit, et annihilari, quod sic definit existere, ut nihil eius deinde superfit. Quae quum nullam praese ferant repugnantiam, quum summam potentiam arguant; facile intelligitur, enti perfectissimo vim creandi, et annihilandi necessario attributam esse. Quae in scholis solet, an vis creandi vni Deo conveniat? Mihi quidem ita videtur: Nam res quae nondum extant, nihilo omnino possunt, nec conducere, nec repugnare sui effectioni; neque aliud quicquam, quod obstet; locum habet: vis ergo rei creandae sufficiens par est omnibus efficiendis, ac proinde omnipotens, atqui tanta vis vni Deo est propria utpote ex eius diuinitate dimanans: vis ergo creandi soli Deo convenit.

§. LXXVIII.

Sapientia,
iustitia.

Si cum omnipotentia voluntas optima, et intelligentia summa coniungatur; fieri nequit, quin, quae optima sint, ab eiusmodi potentia spectentur, efficianturque. Nihil omnino malis operibus agentis infiniti adiunctum esse potest,

nisi

nisi sit eiusmodi, quod a bono nequeat separari. Infinitus igitur spiritus quin optimus sit, dubitari nequit. Nefas est, ens summe perfectum cogitare quod malis, et miseriis, quibus naturae animantes conflitentur, delectari queat. Cum intellectu perfectissimo, optimaque voluntate non potest non coniuncta esse summa sapientia, quae optimos ubique fines spectat, eosque aptissimis mediis potenter exsequitur. Ex quo efficitur; ipsam quoque entis infinito bonitatem esse sapientissimam. Cum hac sapiente bonitate, iustitia non solum consistit, verum etiam haec ex illa consequitur. Infinitus quidem spiritus non omni eo, qui inter homines mortales obtinet, sensu iustus dici potest: iustus tamen est, cum bona distribuit, prout publica salus, maximaque, quae obtineri potest, felicitas deposcit. Neque illi iustitia punitiva repugnabit, si impedio malorum, si emendatio improborum, si publica salus poenas imperauerit. Quin immo eiusmodi quoque poenas, quae actionibus per sese necessario annexae non sunt, quas positivas vocant, adhibere potest; si naturales vel ad finem adsequendum, vel ad mala cohibenda non suffecerint. Sunt, qui ex sanctitate entis perfectissimi iustitiam punitivam cogi putent.

§. LXXIX.

Quas hactenus exposuimus, proprietates omnes in ens summe perfectum, quomodo conueniant, constare arbitror. Ast istae proprietates, istae vires cui subiecto, cui vehiculo (sit venia verbo) insunt? quale est subiectum, quod hisce attributis substat? Obscurae quaestiones! ad quod substantiarum genus ens summe perfectum referes? --- ad nullum prorsus. Naturam perfectis-

Cuiam subiecto perfectio- nes illae insunt?

fectissimam quis comprehendere, quis vna notione totam complecti valet? aut cui rerum finitarum generi eam subiiciemus? Vnum pene est rerum finitarum genus aut potius confusus quidam innumerorum subiectorum complexus, corpora intelligo, quorum aliquam notionem animo informatam habemus. Sed ediffere: estne substantia perfectissima simplex omnino, an ex pluribus aliis concreta? qui possit esse composita? hoc enim sumto, eam esse aeternam, a se, ac necessariam, illud quoque intelligitur a nulla re eandem pendere, nullis mutationibus neque interitus periculo obnoxiam esse. Ex quo sequitur, quoniam omnis res concreta partibus et composita interire natura sua potest, neque eius notioni repugnat vlllo modo interitus, vt natura aeterna ab omni concretionem libera sit, et simplicissima. --- At estne spiritus eiusmodi, cui corpus attributum sit? --- cui vsui sit corpus spiritui, qui natura sua ex nulla alia re aptus esse potest? substantia perfectissima proinde nec quantitatem, nec figuram habet; non implet spatium, non potest diminui, nec distrahi in partes, nec internis agitari motibus. Insulsa igitur sunt omnia, quae veteres Poetae, et Philosophi inprimis Epicuraci de figura Dei humana commenti sunt.

§. LXXX.

Subst. inf.
rebus om-
nibus praesentem
sensus.

Nunc etiam intelligi poterit, quod dicant, substantiam perfectissimam omnibus rebus praesentem esse, id recte statui. In quo tamen cauendum est, ne praesentiam entis infiniti ea metiamur, quae corporum est, et locis certis definitur. Praesentem dicimus hunc, qui nos videt, audit, cuius omnes sensus quodammodo


a corpore nostro impelluntur, aut impelli possunt, quique agere in ipsum corpus nostrum aut sermone, aut tactu, aliove quodam modo potest. A qua notione si remoueris quidquid ei ab imperfectione corporeae finitaeque naturae adhaesit, relinquetur hoc, vt, cum substantiam infinitam omnibus rebus praesentem facimus, ei cognitionem omnium rerum, quae sunt, absolutissimam et facultatem in res omnes pro arbitrio agendi tribuamus, quod his maxime consentaneum est, quae de intellu, voluntate, ac potentia entis infiniti diximus. Dum veteres tanto consensu Dei domicilium in coelo collocant, non sunt ita interpretandi, quasi existiment, eum vno coeli ambitu contineri, id solum volunt, vt illius maiestatem atque sapientiam illic praeprimis effulgere aliis persuadeant. Omnium certe temporum Philosophi existimarunt, Deum naturam esse per omne vniuersum pertinentem. Qua autem ratione Deus vbique praesens sit, libenter fateor intelligenter a nobis explicari haud posse.

§. LXXXI.

Postremo demum quaeritur, substantia infinita vna sit, an plures. Quod plures dicamus esse, nihil est. Vna sufficit, abunde sufficit; maior namque est, atque praestantior, quam quae tenui intelligentia nostra comprehendatur. Verum haec quaestionem non explicant, sed differunt. Ego quidem sic existimo, substantiae infinitae, independenti, ac omnipotenti per aliam aequae infinitam limites poni; quod cum repugnet; vna sit, necesse est. Principium indiscernibilem, qui huc pertinere volunt, vim eius non satis intelligere videntur.

Non nisi vna potest existere.

Neque hoc concludendi modo quicquam confici existimo: Omnes realitates absolutae in ente perfectissimo insunt: plura igitur entia perfectissima repugnant. Nam haec concludendi ratio ad absurdum deducit. DOELLNERVS alio argumento Dei unitatem euincere conatur, cuius vis his ferme continetur: Deo summa possibilitas etiam externa competit: sed haec vni tantum propria esse potest; Deus igitur vnus est. Hanc concludendi rationem confutatam leges in Bibl. Phil. RIEDELII Part. I. Conferre hic iuvat Dissertationem KANTII, quae inscribitur: *Der einzig mögliche Beweisgrund zur Demonstration des Daseyns Gottes.*



CAPVT III. COSMOLOGIA.

§. LXXXII.

Cosmologiae norio, et scopus.

Qui se ad studium Physices conferunt, non tam omnem rerum vniuersitatem considerant, quam, quae sint singularum rerum vires, exquirunt. Quia vero in Psychologia, et Theologia naturali multae incidunt quaestiones, quae explicare perspicue et exponi non possunt, nisi ante constituatur, quid, et quale sit hoc vniuersum; inde factum est, vt Philosophi recentiores peculiarem quamdam efficerent disciplinam, quae de hoc vniuerso, rebusque creatis generatim exponat. Cosmologiam placuit dicere, eamque metaphysicam, quia non solum in contemplatione huius, quem incolimus, mundi subsistit; sed vniuersalem mundi cuiusque



que possibilis notionem exquirat. Ad hanc notionem transcendentalem eluctati Metaphysici tamquam ex specula hunc mundum nostrum subiectum prospiciunt, quid in eo necessario factum sit, quid fieri potuerit aliter, decernentes. Tum demum ad nostrum regressi, quae in eo eueniant quibusque legibus ordo vniuersi contineatur, disquirunt. Nimis adroganter facere cuiquam videantur, qui, quum non nisi minimam vniuersi partem intueantur, de vniuerso constituere praesumunt. Sed, quemadmodum speculationem suam exequantur, videamus.

§. LXXXIII.

Quem *κοσμον* Graeci nomine ornamenti appellauere, cum latini a perfecta absolutaque elegantia mundum dicunt. Verum huic nomini variae ac multiplices notiones subiectae sunt, quas omnes ad quatuor genera reuocare licet: ac prima quidem *Biblica* est, cum mundi nomen sumitur pro genere humano, aut pro parte generis humani corrupta: altera est *vulgaris*, et notat orbem nostrum terrarum, aut quamuis hominum multitudinem: tertia est *poetica*, et denotat systema quoddam planetarum, aut promiscue omnia corpora coelestia, stricte sic dicta, quo sensu id FONTAINELLIVS in tractatu de pluralitate mundorum accepit. In sensu denique philosophico mundus est omnis omnium praeter Deum rerum in complexu consideratarum vniuersitas, *ἐν τῆ τα πάντα* ORPHEI, vnum, quod complectitur omnia. Ex hac mundi huius notione ea, quam *transcendentalem* dicimus, efficitur; in qua constituenda haec duo cauenda sunt: primo ne quae determinationes necessariae

Mundi definito.
 Dicitur de
 vniuersi
 conceptu
 in

riae praetermittantur; deinde, ne plures quam opus est, ponantur: illud enim eandem latiorrem, hoc angustiorrem redderet, quod utrumque vitiosum esse, Logici docent. Sed quae sunt illae determinationes, sine quibus concipi mundus nullus potest? Ego quidem existimo, ad quemque mundum pertinere, vt sit *totum* aliquod a) *reale*, quod partibus extra se positis constet, b) *absolutum*, quod ad aliud totum ceu pars referri nequeat, c) *finitum*, quod non nisi partes finitas complectatur. Quare mundus definiri potest, quod sit rerum finitarum inter se connexarum totum absolutum, aut sistema entium finitorum, quod ad aliud ceu pars non pertineat.

Dictae de-
finitionis
confecta-
ria.

§. LXXXIV.

Iam quid ex hac notione colligi possit, pro more nostro videamus. Quoniam mundus quisque ex substantiis finitis constat; harum autem vires mutationum successioni subiectae sunt; efficitur, non solum ipsas substantias, sed eas etiam, quae iisdem accidunt, mutationes ad mundum referendas esse. Porro leges naturae dicunt formulas, quibus enuntiatur declaraturque modus, quo substantiae finitae agunt. Atque eiusmodi legibus subiectas esse omnium substantiarum vires, dubium esse nequit, cum quotidiana quemque experientia docere possit, non solum corpora, sed etiam animas constanti et aequabili modo agere, eandemque semper rationem sequi. Quae quidem leges, perinde ac ipsae substantiae mundi nomine comprehenduntur. Quia partium vere existentium numerus infinitus repugnat; consequens est, nullum mundum esse posse infinite extensum. Quum denique substantiae finitae naturae suae necessitate

fitate non existant, ac proinde fortuitae sint; facile intelligitur, mundum a causa necessaria effectum esse. Ex quo porro efficitur, mundum, quod ad materiam et elementa attinet, ex nihilo procreatum esse.

§. LXXXV.

Sed varius ac multiplex nexus est, quo partes vniuersi iunctae inter sese copulataeque cernuntur. Corpora coelestia mutuo attractu sese sustentant, suosque inuicem motus definiunt. Corpora terrestria diuersis modis in homines agunt, et vicissim ab iis aguntur. Neque ipsi homines integris etiam regionibus ac maribus ita separantur, vt non aut litterarum, aut rerum commercio coniungantur. Nexum hunc cosmologicum elegantibus versibus complexus est POPPIVS, Poeta philosophus. Aliquam huius descriptionis partem huc transcribere iuvat.

- „ *Hic nihil est exul: nihil est a mole resectum.*
- „ *Omnes ad totum referuntur in ordine partes.*
- „ *Spiritus intus agens, sapiente per omnia sensu*
- „ *Ac virtute means, rerum moderator, et*
altor,
- „ *Res quascumque manu gestans quasi vincula*
secum
- „ *Coniungit, copulat, sociat, ligat, implicat,*
vnit,
- „ *Maxima cum minimis cum summis glutinat*
ima.
- „ *Est homini brutum nunc utile, nunc homo*
brutis
- „ *Inseruit. Quicquid seruit, seruitur id ipsum*
- „ *Nil extat solum: rerum infinita catena*
- „ *Cotinuat seriem. “ Ep. III.*

Ex hoc nexu Wolffiani varia deducunt, quae non omnibus probantur. Hoc autem modo concludunt: si res omnes, quae sunt, aut fiunt; inter se aptae, atque connexae sunt; ergo cuiusque corporis motus, aut mutatio ad alia quaeque corpora huius vniuersi pertinet; ergo variato, aut sublato quoque eventu, totum mundum aut variari aut tolli necesse est; ergo omnia, quae ex aliis consequuntur, necessitate quadam hypothetica fiunt; ergo quidquid fieri potest, aut iam est factum, aut certe futurum est; ergo mundus est machina. Verum in hac concludendi ratione, sunt alii, qui multa reprehendant. Ac primo quidem negant, ad quamque vnius substantiae cum alia connexionem requiri, vt vnaquaeque huius substantiae mutatio ad singulas totius partes pertineat. Deinde hic influxus vnius cuiusque substantiae per vniuersum pertinens, iniquiunt, tantum abest, vt experientia confirmetur, vt potius contrarium ex ea suspicari liceat; quandoquidem cuiusque mutationis effectum cum distantia decrefcere, et demum euanescere videamus. Denique si singulas partes e singulis aliis ita aptas esse dicamus, efficietur, nullas esse rerum essentias absolutas, quod perspicue falsum esse, et vehementer repugnare putant. Huc accedit, quod maximi momenti est, sumto hoc nexu Wolffiano, causarum rationalium libertatem penitus everti.

§. LXXXVI.

Fatum.

Vetus est, quam modo diximus, difficultas, vti ex iis, quae CICERO de fato scripsit, constat. Alii, ne quid fieri posse sine causa concederent, fati necessitatem, alii contra, ne

men-

mentes humanas fati necessitati deuinctas darent, casum, et fortunam introduxerunt: fatum autem et fortunam Philosophi antiqui ita distinguunt, vt illud certam, et ineluctabilem causarum seriem, hanc mutabilem, et inconstantem dicant. Fati autem, vt ab hoc exordiar, non vnum genus est. Quae sunt fata antiquorum scriptis magis celebrata, paucis indicamus. Primum est fatum DEMOCRITVM, seu necessaria ac bruta series effectuum, et omnium causarum ab aeterno non a Deo, sed ex necessitate naturae materiae ipsius numquam interrupta fluens. Quod idem fatum generatim tenuit EPICVRVS, aut certe LVCRETIVS; et si videri velint, atomorum declinatione casum induxisse, qua de re deinceps. Alterum est *Stoicum* fatum, seu series rerum necessaria et ineluctabilis a voluntate Dei oriunda, quod *πρῶται* seu prouidentiam vocant: quum enim statuerent omnia perudentem, et animaduertentem Deum; censebant ex immutabili eius voluntate euenta omnia necessario promanare. Vid. Cic. de N. D. L. 1. C. 1. Fatum *astrologicum*, de quo idem CICERO agit Lib. 1. de Diuinat. C. 1. est omnium euentuum necessitas ab immutabili astrorum actione promanans. Fatum *Mahomedanum* est absoluta et immutabilis rerum omnium praedestinatio, ac praeordinatio, in Deo quidem libera, in rerum vero serie necessaria. Fatum denique *Spinozisticum* situm est in serie aeterna, et necessaria, quae ex natura Dei ab aeterno et necessario emanatione essentiali fluit. SPINOZA enim docet, vnā esse substantiam, eamque aeternam et ex infinita cogitatione et extensione constatam, quam Deum vocat, alias vero res esse modificationes attributorum Dei,

id

id est, cogitationis et extensionis easque fieri ex necessitate naturae Diuinae. Sed nullum horum fatorum genus sustineri potest. Ac primo quidem hoc commune habent, quod libertatem animi humani prorsus submoueant, quam tamen et conscientia nobis attestatur, aliaque argumenta confirmant. Deinde in quoque eorum genere varia insunt, quae reprehendi facile possunt. Democritum quidem subnixum est commentitiis atomis, quarum doctrinam vehementer claudicare passim ostendit TVLLIVS maxime Lib. II. de nat. Deor. Cap. 37. Stoicum ex prouidentia Dei fati necessitatem induxit, quasi, quae futura sunt, idcirco futura sint, quia Deus ea futura praenouerit et prouiderit. Fatum Astrologicum idem TVLLIVS multis passim argumentis confutauit, nominatim Lib. II. de Diuinat. Cap. 45. Et sane cum eorum, quae in terra fiunt, quaeque hominibus accidunt, rationem deprehendimus sufficientem in causis aliis antecedentibus, in tellure occurrentibus, non est, cur ad coelum et astrorum efficacitatem confugiamus. Fatum denique Spinocisticum confutatione vix eget: adeo fatuum est; aut quis ferat vnicam in hoc vniuerso substantiam, eamque extensam et tamen indiuiduam? Fatum Stoicum, aut si maus Turcicum, nuper resuscitauit, nescio quis de LOCH, quem confutare alius quidam de FREY conatus est. Qua ratione homines ad hanc de fati necessitate opinionem delapsi fuerint, Psychologo nequit obscurum esse. Ea est enim animi humani natura, vt se penitius excutere nolit: neque etiam, si vel maxime velit, tacita illa, quibus mouetur, incitamenta semper pernoscit. Quo fit, vt se vi aliena et extrin-

secus

secus agente ad ea, quae ipse et consulto et liberrime voluit, impulsus esse, sibi persuadeat. Quam persuasionem eo libentius induit, quod erroribus suis justam excusationem praetextere hoc modo possit: aut quis non malit vim astrorum et fati necessitatem incusare, quam sese scelerum suorum auctorem confiteri? Huc accedit speculandi, cauillandique libido, quae, ubi modum excessit, susque deque omnia vertit.

§. LXXXVII.

Quemadmodum doctrina de fato omnes, qui Casus. in mundo accidunt, eventus quasi concatenat; ita alius error omnem rerum nexum tollit, uniuersalemque anomaliam inducit: Casum intelligo, cuius maxime EPICVRAEI incusantur. Est autem casus, cum res fiunt nulla praescientia, nulla praeuidentia, nulloque ordine atque sine neque ex certis atque statis causis. Non solum igitur a casu excludenda est omnis prouidentia, sed omnis quoque rerum, quae fiunt, finis, tum omnis denique causarum certitudo. Nam si prouidentiae tantum defectus adsit, neque certus ordo causarum tollatur, fatum potius erit, quam casus. Quae quum ita sint, qui purum casum in EPICVRI Philosophia sibi inuenisse videntur, imprimis CICERO nisi fortassis atomorum declinationem intellexerint, quae ita inuecta videtur, ut, unde nascatur, intelligi nequeat, longe sunt ii hallucinati. Sustulit quidem EPICVRVS prouidentiam, at non ordinem, et seriem causarum, quae certis naturae foederibus, ut vocat LVCRETIVS, ad mundos conficiendos aut dissoluendos conuenirent. Itaque natura

illa creatrix et daedala rerum lucretiana, si acri iudicio perpendatur, a fato DEMOCRITI nihil differt. Qui igitur ex antiquis purum casum docuerit, quod sciam, nullus fuit. Si vero casus contingere dicas ea, quorum caussae latent, non solum antiqui sed recentiores quoque casum admittunt. Huc pertinet illud CIRCERONIS in Topicis Cap. 17. de caussis; „ Latent, inquit, quae subiecta sunt fortunae. „ Quum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum „ est fortunae euentus, quod latenter effici- „ tur. “ ARISTOTELES iam ante TULLIVM serio videtur contendisse, fortunam et casum caussas physicas esse; quae ita distinguit, ut dicat ΤΥΧΗΝ versari circa actiones naturarum προωριεσαι, facultate eligendi praeditarum; το αυτοματον vero circa ea, quae sunt facultate illa destituta. Si igitur fortuitam atomorum Epicuraearum declinationem excipias, casus purus in antiquitate praesidium non habet: quod vero hanc ipsam fortuitam declinationem attinet, LUCRETIVS eam ex libertate mentis humanae probari putavit. Qua quidem in re patronum nactus est PRAEMONTWALLIVM Philosophum alioquin acutissimum, qui hoc fere modo concludit; quaecumque animus libere voluit, eadem sub adiunctis perfecte iisdem potuit non velle. --- Concedo, si omnes circumstantiae fuerint eiusmodi, ut nullam, hoc aut illud decretum capiendi necessitatem attulerint, si plena contingentia aut possibilitas formalis etiam ac subiectiva locum habuit. --- Sed si mens humana a Deo in iisdem plane circumstantiis constituitur, diuersis vicibus diuersa volet, quin vterior ratio assignari queat, cur nunc hoc, nunc aliud

aliud voluerit. Libertas igitur sine casu consistere nequit. Verum quod PRAEMONTWALLIVS sumit, ei concesserit nemo, nisi simul ostendat, eam, quae in iisdem adiunctis habetur, consecutionis aequabilitatem aut supponere, aut inferre necessitatem.

§. LXXXVIII.

Quamuis omnia, quae in mundo fiunt, ex Natura. antegressis causis fiant, eorum tamen in mundo causae non semper continentur. Vnde duo eventuum genera distinguunt, vnum naturalium, alterum supernaturalium. Sed quemadmodum naturae nomen varie accipitur; ita hisce quoque nominibus non eadem semper vis ac potestas tribuitur: natura quidem generatim est principium actionum, et passionum entis internum. Natura igitur vniuersa est principium mutationum, quae in mundo fiunt, eidem internum, seu collectio virium, quae in omnibus entibus mundum constituentibus simul sumtis insunt. Quare euentus, cuius ratio continetur in re ad vniuersam naturam pertinente, *naturalis*; cuius autem ratio in re ad eam pertinente minime continetur, *supernaturalis* dicitur. Quidquid ergo ex vi, et structura corporum, aut ex vi creatorum spirituum intelligi potest, idem habendum est in naturalibus: quidquid vero ex his intelligi nequit, supernaturale putandum est. Neque tamen supernaturale promiscue vsurpari pro eo debet, quod est aut praeter, aut contra naturam. Quod enim fieri *praeter* naturam vulgo dicimus, id reipsa fit secundum leges vniuersae naturae, habetque causam in hac rerum vniuersitate sufficientem, tametsi huius, aut illius

singularis corporis naturae aduersetur. *Contra* naturam autem fieri quicquam dicitur, cum rerum ordini, naturaeque uniuersae vis inferatur, ita, vt plane contrarium eueniat, atque euenire spectata vniuersa natura debuisset. Euentus supernaturalis *miraculum* dicitur. Insolentia igitur euentus et hominum admiratio ad internam miraculi naturam nihil omnino pertinet. Duo autem miraculorum genera distinguunt: primi generis sunt eiusmodi effectus, qui omnes naturae vires absolute exsuperant. Secundi generis sunt, si euentus alias naturalis ita efficitur, vt eius ratio sufficiens in re ad uniuersam naturam pertinente non contineatur; illa miracula *maiora* seu *quod substantiam*, haec *minora*, seu, *quoad modum* adpellant. Vtrumque genus fieri posse, si naturae auctorem ab hoc vniuerso diuersum admittas, facile ostenditur. Nam leges motus, secundum quas in mundo natura mutationes efficit, fortuitae sunt, non absolute necessariae. Quod enim corpus nisi a causa externa non mutatur, quod actioni contraria, et aequalis est reactio, et cetera, quae ex his pendent; id quidem ex corporum essentia nequaquam fluit, poterantque aliae a Deo leges statui, tametsi hae sapientissime sint constitutae. Si ergo adsit causa vi sufficiente instructa, quin effici quaedam in vniuersa natura haud fundata, quin suspendi motuum leges, quin euentus alias futuri immutari, quin patrari miracula possint, dubitari nequit. At qui probaueris factum esse vquam miraculum? Quod cum stabili et constante rerum ordine consentit, arguit *HVMIVS*, id potius praesumendum, quam eius contrarium: sed effectus naturales consueto ordini consentiunt,

tiunt, supernaturales eidem repugnant; hi ergo semper praesumendi, neque vlla auctoritate illi probabiles fieri possunt. Verum quod HVMIVS sumit, miracula omni experientiae repugnare, id ei concefferit nemo. Internam certe miraculorum possibilitatem neque HVMIVS, neque ROVSSEAVVIVS negat; si ergo idoneis testimoniis factum esse miraculum ostendatur, eisdem fides deneganda non est. Sunt quoque alii, qui, quod exploratas rerum creaturarum vires non habemus, difficulter statui posse existiment, vtrum hoc, aut illud a solo Deo effectum sit. Quare hanc miraculi descriptionem adferunt, quod sit opus praeter communem rerum tenorem, vires humanas longe superans. Hominis autem iussu, aut eius voluntate editum, aut in eius salutem, et apertam vtilitatem. Huiusmodi enim vbi eduntur ab homine miracula, vt se numine esse adflatum fidem faciat, plane ostendunt, naturam aliquam superiorem huic rei se immiscere. Qualis vero sit ea natura potentior, an bona et benigna, Deus scilicet ipse, vel iussu Dei, Angelorum aliquis bonorum, an contra Daemon aliquis inuidus, et malitiosus ex ipsis legibus et morum institutionibus promulgatis constiterit; quae si sanctae sint, et hominum felicitati consulentes, earum nuntium aut promulgatorem miracula patrantem merito credimus diuino numine adflatum.

§. LXXXIX.

In scriptis Philosophorum saepius commemorantur leges corporibus, et spiritibus communes, quae, quales sint, hic conuenit indagare. Celeberrima autem omnium est *lex con-*

tinui.

tinui, quae tantum abest, vt noua putari de-
 beat, vt potius trito illo axiomate: Natura non
 facit saltum, contineatur. Græci non solum,
 sed etiam orientales Philosophi eam cognitam
 habuerunt. Ex quo autem LEIBNIZIVS in
 act. Erud. pluribus eam commendauerat, fre-
 quentior eiusdem vsus esse coepit. Sed refert,
 de rebus simultaneis, an successiuis pronuncie-
 tur: quandoquidem eiusdem veritas in vtro-
 que rerum genere non eodem modo cernitur.
 Si de rebus *simultaneis* dicitur, hunc vero sen-
 sum habet: in rerum creatarum serie presse
 adeo, arcteque genus unum alterum excipit, vt
 nullum, quod interferi queat, desideres; nam
 in finibus genera separantibus entibus entia of-
 fendes, tam ex vtroque genere participantia,
 vt cui potissimum accenseas, ob intimam con-
 iunctionem difficulter agnoscas. Rem ita se
 habere, alii ex diuinæ sapientiae legibus, alii
 ex plena inductione constare volunt. Et sane,
 quod classes attinet, planta cum animalibus po-
 lypi, fossilia cum plantis lythophyta coniun-
 gunt: in singulis autem regnis continuitatis
 huius exempla quam plurima habentur: si spe-
 cie externa lapides discrimines, vltima spathi
 forma in fluorem abit, si igne illos examines,
 inter eos, qui in vitrum liquescunt, et qui
 pertinaciter igni resistunt, intermedii alii sunt:
 herbas cum arboribus suffrutices et frutices
 coniungunt. Hominem denique exterior fa-
 cies vix a simia distinguit. Pleniorem hujus
 continuitatis inductionem exhibet Clar. BON-
 NETVS in Comtemplation de la Nature Tom. I.
 qui omnino videndus. At si singularum rerum
 singulae sunt proprietates, arguit ROBINE-
 TVS; omnis earum in classes et regna diuisio

proscribenda erit. — Id minime quidem: nullum enim corporum genus ita ab alio distat, vt non plures proprietates communes habeant, quas proinde vno communi nomine comprehendere nihil vetat. Neque audiendus est Dom. de NEKER, qui regnum vegetabile cum animali confundendum censet. Et si enim maxima sit plantarum animantiumque similitudo; huius tamen confusions necessitatem non adfert.

Alterum quod hic quaeritur, est, quanam huius legis *in successibus* applicatio esse possit; num omnes in rerum natura mutationes sensimque fiant, et vtrum istae finitis differentiis, an contra infinite paruis progrediantur. Quod primum attinet, res manifesta videtur, et innumeris quoque exemplis ostendi potest: aut quem latet, ex cibis ventriculo ingestis non subito ossa carnesque fieri, sed ad chylum prius ex illis educi, deinde sanguini commisceri, denique nutriendis corporis partibus adsimilari; atque adponi? aut quis nescit, non statim ex ouulo egressam erucam per auras ferri, sed prius laruatam papillionem reperere, post chrysalidem ex erucæ pelle prodire, tandem rupto sepulchro euolare. Quod si itaque talis legi huic sensus tribuatur, vt, quidquid mutatur, per omnes eos status transire debeat, vt ad vltimum demum perveniat, nihil omnino videtur esse, quod contradici queat. At estne numerus illorum statuum, per quos res quaeque transire debet, certus, atque definitus, vt priorem quemlibet statum alius adsignabili discrimine separatus sequatur? an vero hic omnia fluunt, et proximus quivis differentia quavis data minore a priori distat? sunt summi viri, quibus alterum placet, qui vt extensio-

nem in Geometria, ita hic status mutationem in elementa infinite parua resoluunt, idque lege continui iuberi existimant. Inter hos maxime eminent MENDELSONIVS, qui negat vllis naturae viribus effici posse, vt duo status sibi prorsus oppositi se inuicem consequantur. Verum nullus eorum adhuc legem ita acceptam stabiliri experientia ostendit, quae tamen in indagandis naturae legibus maxime sequenda est. Neque etiam, quemadmodum ex ratiociniis possit confirmari, intelligo. Quid enim, si status quiuus a sequente limitibus certis secernatur, vt tertius, quo illud discrimen minuatur, inseri non possit? rationem dicunt, cur ex statu priore existat consequens, non posse intelligi, nisi illud ponatur. Ac si hoc quicquam valet argumentum, ostendit statum quemque a proximo ne quidem infinite parua quantitate differre posse. Nam infinite parui saltus, saltus tamen sunt. Num vero si status quiuus ex alio ope intermedii fiat, sic ratio dabitur, cur vltimus a priori oriatur? ego quidem illam non perspicio: ad seriem quaestionum sine fine progredientium me video redactum. Quaero, qua ratione status vltimus existat e primo? respondent: incerto quodam intermedio? per alium rursus intermedium: et qui hic e primo? rursus interueniente alio --- hic si nullus finis est interrogandi, doctiorem responsionibus me fieri aegre mihi persuaserim. Hoc altero igitur sensu accepta lex lata non videtur. Cf. KAESNER: Dissert. de lege continui in natura.

§. XC.

Altera lex, quae huc pertinet, a *parsimonia* Lex parsimoniae. dicitur, illoque scholasticorum axiomate continetur: Natura nihil facit frustra. Huius autem effati ut verum sensum eruamus, definiendum est, quid nomine naturae hic veniat. Si naturam ipsam huius vniuersi auctorem intelligas, (scholastici dicunt naturam naturantem) dubium non est, quin sine consilio aut temere quidpiam facere credatur: quo spectat aliud scholasticorum dictum: Natura sine suo numquam excidit. Sin vero brutas vires, uti par est, intelligas; ambiguum erit axioma: siquidem hunc ei sensum tribuas, quasi vires mechanicae consulto eligerent, quod faciant, perspicue falsum est: sin ita accipias, ut quidquid fiat, non simul ad alias res secum coniunctas pertineat, nullus dubito, illud adfirmare. Huc etiam pertinet illud: Natura agit semper per viam brevissimam; quod axioma nihil differre videtur a *lege minimi*, quam MAUPERTVISIVS ita enuntiat: siqua in natura contingit mutatio, ea, qua haec mutatio efficitur, actio omnium, quae fieri possunt, minima est. De hoc principio, quanta animorum contentione inter summos Philosophos decertatum fuerit, vix dici potest. Cf. vollenständige Sammlung der Streitschriften zwischen dem Herrn von Maupertuis, und König, Leipzig 1753. Nunc quidem, quod sciam, Mathematicorum nullus est, qui non dicat, MAUPERTVISIVM calculo suo falsum fuisse. Vide Lamberts Beiträge zum Gebrauch der Mathematik, Tom. II. pag. 543. Neque ex eo, quod MAUPERTVISIVS contendit, existentiam,

tiam, et perfectiones Dei cogi posse, existimo. Nam primo ostendere auctor debet, minimam in natura actionem non vnice possibilem, ac proinde nec absolute necessariam esse; aut si plures viæ, ac media possiblem sint, naturam non temere ac coeco impetu in viam breuissimam delatam esse: denique, vt hæc lex rationem, sapientiam probet, euincendum est, parsimoniam ad finem quempiam, eumque optimum contendere: fieri namque posset, vt mala perinde ac bona via braeuissima perficerentur; et quis inde sapientiam colliget? Vide *Kalmars vornehmste Wahrheiten der natürlichen Religion, 4te Abhandlung. Conferatur tamen Versuch einer Cosmologie von Herrn von Maupertuis, Berlin 1751.*

§. XCI.

Lex vniuersalis conseruationis.

Tertia denique lex vniuersalis conseruationis dicitur, cuius hæc vis est, vt nihil in rerum natura interest, nulla ex hoc vniuerso substantia auferatur, deleatur. Ac primo quidem naturæ vi nulla primarum substantiarum in nihilum abire potest: aut enim vi sua abit in nihilum, aut vi alterius creatæ substantiæ. Vi sua nequit: si enim vi sua abeat, abit agendo, cum autem primæ substantiæ eo maxime existant, quod agunt; eo ipso, quo vehementius agunt, eo magis existere pergunt. Nec vt alterius; quia substantiæ primæ, vt sunt naturaliter actiuæ, ita sunt essentialiter antitypæ --- At a Deo saltem in nihilum rediguntur? --- Verum qualem substantiam Deus annihilat? superfluam? at talis non existit. Bonam, et necessariam? at quare Deus sapientissimus eiusmodi ex hoc vniuerso exterminet? sub-

substantiam loco suo non aptam? at qualis sit ista? creata, an demum ita vsu detrita, vt iam non congruat loco suo? vtrumque diuinae sapientiae et bonitati repugnat. Recte igitur absolutae mortis exilium a LEIBNIZIO statuitur. Sed quam diximus conseruationis vniuersalis legem, sunt, qui haec tenent pertinere velint, ut non solum eadem virium viuarum in mundo quantitas, sed ipsorum quoque motuum identitas persistat. Verum, quod primum attinet, ostendendum est, vires quasdam viuas in natura esse, aut, si sint, eas a quantitate motus omnino distingui. Sunt sane hodie homines doctissimi, qui effectus omnes ita pendere a vi motrici et minimis ac perpetuo pereuntibus mutationibus, vt vires viuae sint plane superfluae; sunt, qui eas a motus quantitate nihil differre arbitrentur. In horum igitur sententia dicta lex locum non habet. Opinio de identitate motus ne Cartesianorum quidem omnium adsensum tulit. Plura de hisce legibus occurrunt in tractatu ROBERTI BOYLE de ipsa natura, Geneuae 1688.

§. XCII.

Præter hunc mundum, alios quoque forte innumerabiles cogitari posse, inde intelligitur, quod et res aliae, atque existunt, existere, et alius earundem ordo concipi mente possit. Nam primo quid repugnantiae habet, res quasdam abesse, earumque locum alias occupare? nisi vero non consistere hic orbis aut genus humanum posset, nisi cerasi essent, alni, vrticae, marmor, psittaci. Alius mundus foret, si haec abessent: fateor, idque ipsum volebam; sed mundus tamen. Vt non interit

Num mundi plures possibiles?

terra, postquam Silphium Cyrenaicum interit; sic eadem esse antea potuisset, si Silphium omnino non fuisset. Deinde qui in rebus cum temporis, tum interuallorum ratione ordo cernitur, quid impedit, quominus aliter institui possit? Nam etsi huius ordinis certae sapientisque rationes sunt; nihilominus tamen posset hic ordo ita mutari, ut nouus, a priori diuersus, existeret. Neque enim huius mundi ordo eiusmodi est, qualis est, in Geometricis seriebus, membrorum. In hoc enim statim intelligitur ex ipsa seriei notione, eum mutari non posse: quod in ordine mundi longe secus est. Iam utrumuis sumas, alios, ab hoc nostro diuersos mundos fieri posse, concedas, necesse est. Quae quum ita sint, Metaphysici quaerunt, quid in quoque mundo possibili necessarium sit, quid fortuitum: An mundus aliquis sine substantiis cogitantibus esse possit, et quae sunt huius generis alia. Verum quoniam quaestiones illae sunt de mere possibilibus, neque lucis quicquam aliis scientiis adfundere videntur; earum resolutionem libenter praetermitto.

§. XCIII.

Anne
mundus
hic opti-
mus.

Antequam hic de mundo speculationi finem faciam, quaestio percelebris explicanda est, sitne mundus hic optimus, nec ne. Quum mundus quisque ex finitis constet substantiis; vllum infinitum esse repugnat. Quia porro, quicquid imperfectionis natura sua rebus inest, malum *metaphysicum* dicunt; sequitur, nec vllum mundum sine malo metaphysico esse. Quare nullus ita perfectus esse potest, ut vnaquaeque eius pars omnes, quae simul consi-

stere

stere possint, perfectiones complectatur. Et licet malum morale, seu transgressio legum, et malum *physicum*, seu morbi ac dolores corporis mundo necessario non insint; summa tamen cum ratione eidem naturalia putanda sunt: aut certe mirum videri debet nemini, si hoc in mundo istorum malorum genera reperiantur. Quam sint haec mala mundo consentanea, subtiliter explicat SVLZERVS, *veremischte philosophische Schriften*, Seite 323. Paradoxus, vt in aliis multis, hic est ROBINE-TVS, docens, aequabilem esse bonorum, malorumque in hoc mundo distributionem: adeo, vt aequali bonorum portioni aequalis malorum admista sit. Quod est finitum, inquit, semper imperfectum sit, necesse est. „ Ergo il n' „ existe pas dans le fini, un seul degré de „ bonté pure donc chaque degré du bien y „ est allié à un degré de mal etc.“ Tom. I. part. I. chap. 23. Verum vim conclusionis nullam perspicio. In termino aut in extremo gradu, vbi realitas seu bonum cessat, illud dumtaxat, quod cum finito necessario coniungitur, limitationis malum incipit. Ex quo efficitur, vt cum quouis nouo perfectionis gradu malum metaphysicum decreseat.

At in quo consistit mundi cuiusque perfectio? mea quidem sententia mundi perfectio in nulla alia re, quam in pleno eorum, quae in eo sunt, aut fiunt, ad finem propositum consensu, atque in ipsa huius finis praestantia consistere potest. Hic autem finis, quandoquidem internus esse debet, et absolutus, nisi in animantibus naturis locum non habet. Praeterea finis ille, ad quem praestandum reliqua omnia conspirant, nisi bonum quidpiam sit,


mundo perfectionem nullam conciliabit. Quare nihil aliud, quam felicitas animantium esse potest, cuius causa mundo perfectio tribuenda sit, si intuitu finis interni mundum perfectum dicere velis. Ex his denique efficitur, mundi perfectionem partim in magnitudine ac summa boni physici, seu voluptatis, ac felicitatis, quae in eo percipitur, partim in perfectione dispositionis, qua illa ipsa felicitas efficitur, positam esse. Quum igitur in mundo perfectissimo ad finem propositum conspirare omnia debeant; facile intelligitur, eum nec redundare superfluis, nec deficere necessariis posse. Ex eo autem, quod felicitas debeat esse, quae fieri potest, maxima, cogit REIMARVS, omnes, quae consistere simul possunt, substantias adesse oportere. Huic certe mundi perfectissimi notioni maxime consentaneum est, nequod felicitatis, aut voluptatis genus praetermissum sit, neque spiritus desint, qui ea voluptate, quae ex plena totius nexus summaeque perfectionis cognitione existit, perfruantur.


Verum mundus hic an optimus sit, quaestio est, multorum scriptis celebrata. Sunt, qui ex iis, quae videmus de hoc vniuerso atque sentimus, et intelligimus, nullo modo putent effici posse, neque hoc: hunc omnium esse optimum, neque illud: eum non esse optimum. Quae etsi speciem veri praese ferant; putauerim tamen ex iis, quae intuemur, non inepte summam mundi huius perfectionem colligi. In illis enim, quae videmus, non solum optimos fines, verum etiam mirificum partium omnium ad hosce fines adsequendos consensum detegimus. Quare, quod
in


in paucis his detegimus, id de ceteris summa cum ratione dicemus; nam quae res eundem artificem habent, oportet, omnes eadem arte esse exstructas. Quare stultae sunt et temerariae eorum hominum voces, qui, quod non intelligunt, statim blasphemant. Licet igitur ex his mundum esse optimum, adfirmare certo non possimus, recte tamen illud suspicamur. Quando vero cogitamus, Deum esse auctorem huius mundi, tum vero nescio, quomodo fiat, ut quaedam nobis necessitas videatur imposita statuendi, hunc mundum non posse non esse optimum. Quod idem senserunt antiqui, inprimis PLATO et PLOTINVS: CICERO, aut quisquis sit, in TIMAEO ait: „ Neque „ mundo quicquam pulchrius, neque eius „ aedificatore praestantius est: “ et alio loco: „ Fas nec est, nec umquam fuit, quicquam „ nisi pulcherrimum facere eum, qui esset „ optimus. “ ---- At quicumque mundus, reponit CRYSIVS, finitus est, quia igitur mundo finito perfectior quisque alius esse potest, nullus erit optimus. ---- Immo aliud omnino inde colligo: quilibet mundus necessario finitus est: ergo nullus mundus, qui fieri potest, infinitus, ac proinde nec optimus. Non ergo repugnat mundum finitum simul optimum esse. Πρωτον ψευδος CRYSII in eo consistit: genericae notioni finitatis non repugnat, in quouis ente incrementa cogitare: ergo nullum ens finitum est optimum; quasi vero, quae notioni entis genericae non repugnant, eo ipso nec rei singulari, nec individuae repugnent. ---- At si mundus hic optimus est; unde ergo haec mala, quae patimur? Verum ab eo, qui ita quae-


quaerit, exquiram, philosophusne ethnicus me roget, an Christianus theologus: illi respondeo, ea, quae voluntatis sunt mala, peccata, vitia, scelera, ab homine ipso esse, qui non rite, nec sapienter iis viribus utatur, quibus sapienter, ac liberaliter a Deo est instructus: quae autem sunt naturae, ut dolores, et aegritudines, ea partim esse confectaria vitiorum, partim mala non esse. Nam magni saepe dolores, ac miserae aegritudines vitia comitantur, quae eiusdem cum illis sunt originis. Et quidem sunt dolores, ac aegritudines, quae, quoniam boni causa inductae sunt, stulte mala dixeris. Huiusmodi sunt naturae adpetitus siue corporei, siue rationis, indeque erumpentes adfectus; necesse est enim, ut rem finitam nec sibi sufficientissimam ad beatitudinem huiusmodi adpetitus extimulent, quod ARISTOTELES iam animadvertit. At si Theologus roget, ei nequeunt esse ignota Christianae religionis arcana, ex quibus illi reddatur huiusmodi rei ratio. Sed ea de re in Theologia naturali differemus copiosius. Interim hoc loco Clar. GARVIUM nominandum censeo, qui in notis suis ad FERGVSONIVM in sententiam nostram plura acute animadvertit.

ethicorum
: illi re-
nata, pos-
pro esse,
ibus vna
er a Deo
urae, vti
esse con-
e. Nam
itudines
illis sunt
as agri-
ia induci-
di sunt re-
atione, b
e est eum
iffimam
ustimulen
vertit.
sse igno-
ibus illi
ea de re
obius. In-
nominata
Fereva
plura acce-









© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	R	G	B	M	W	G	K	Y	C	M									




Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches


© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Inches







3